SANKT GABRIELER STUDIEN
Herausgegeben von der philosophisch-theologischen Hauslehranstalt St. Gabriel

III.

S. AUGUSTINUS ET DOCTRINA DE DUPLICI JUSTITIA

INQUISITIO HISTORICO-CRITICA IN OPINIONEM HIERONYMI SERIPANDI (1493—1563) DE JUSTIFICATIONE EJUSQUE HABITUDINEM AD DOCTRINAM S. AUGUSTINI

AUCTORE
P. DR. JOSEPH HENNINGER S.V.D.

SCOLASTICAT ST-JOSEPH
O.M.I.
OTTAWA EST

1935

Typis Domus missionum ad Sanctum Gabrielem, Mödling prope Vindobonam

Imprimi potest

St. Gabriel, die 31. Maii 1935

P. J. Geretzky S.V.D.
Provincialis

Imprimatur

St. Gabriel, die 31. Maii 1935

P. J. Koch S.V.D.
l. c.

BQT
1129
.A8H4
1935

Praefatio

Ultimis decenniis, praesertim ex quo cura Societatis Goerresianae fontes Concilii Tridentini edi coepti sunt, complures de eodem Concilio in lucem prodierunt monographiae. Cumque ex lucubrationibus Sessionem sextam spectantibus satis appareat, quanti momenti sit doctrina de duplici quae vocatur justitia, dignum videbatur in fontes hujus doctrinae profundius inquirere. Cujus inquisitionis scopus principalis erat indagare, utrum illa theoria dependeat a S. Augustino, cujus auctoritatem frequentissime invocat Hieronymus Seripandus, duplicis justitiae in Concilio Tridentino defensor spectatissimus.

Post brevem igitur introductionem historicam, qua recensebitur historia externa praedictae theoriae, proponetur in priori parte ipsa doctrina de duplici justitia, praesertim secundum Hieronymum Seripandum, in altera parte instituetur comparatio cum doctrina S. Augustini.

INDEX PARTIUM

Libri adhibiti VII

Introductio historica:

Doctrina de duplici justitia saeculo 16

Caput I. Origo theoriae ejusque historia usque ad Conc. Tridentinum . 1
Caput II. Theoria duplicis justitiae in Concilio Tridentino 3

Prima Pars

Doctrina de duplici justitia ab Hieronymo Seripando in Concilio Tridentino proposita

Caput I. Introductio generalis 9
Caput II. Doctrinae de duplici justitia forma prior
§ 1. Status quaestionis in Concilio 12
§ 2. De concupiscentia 13
§ 3. De imperfectione justitiae inhaerentis 18
§ 4. De merito 21
§ 5. De imputatione justitiae Christi 22
Caput III. Ejusdem doctrinae forma posterior et mitigata 29
Caput IV. De fontibus hujus doctrinae 31
Supplementum Primae Partis 33

Secunda Pars:

Utrum apud S. Augustinum inveniatur doctrina de duplici justitia ab Hieronymo Seripando propugnata

SECTIO I. Utrum S. Augustinus docuerit aliquam justitiam inhaerentem
Caput I. De historia interpretationis doctrinae Augustini 37
Caput II. De existentia alicujus justitiae inhaerentis 41
§ 1. Exegesis textuum de „Justitia Dei“ 42
§ 2. Definitio justificationis 49
§ 3. Descriptio vitae hominis justificati 51
Caput III. De natura justitiae inhaerentis 55
§ 1. De relatione inter justitiam et actus justos 57

§ 2. De natura justitiae, quae actus praecedit 58
§ 3. De justitia nostra, comparata cum justitia protoparentum . . 62
§ 4. De justitia nostra, comparata cum justitia angelorum 65
§ 5. De effectibus justificationis, praesertim de deificatione . . . 70
Conclusio Sectionis Primae 79

SECTIO II. Utrum S. Augustinus docuerit, justitiam inhaerentem sufficere ad salutem 82
Caput I. De concupiscentia 82
§ 1. Quid est reatus concupiscentiae? 84
§ 2. Quomodo tollitur reatus concupiscentiae seu peccati originalis? 90
§ 3. Concupiscentia remanens estne peccatum necne? 93
Caput II. De imperfectione justitiae inhaerentis, seu de peccatis, quae etiam a justis committuntur 104
§ 1. Principia fundamentalia 104
§ 2. Qualia sunt illa peccata, quae inveniuntur in justis? 111
Caput III. De merito 121
§ 1. De existentia et extensione meriti 121
§ 2. De natura meriti 126
§ 3. De sufficientia meriti 127
Caput IV. De munere justitiae Christi in nostra justificatione 143

Conclusio 151

Appendix: Excerpta quaedam ex tractatu Seripandi inedito (de justitia et libertate christiana) 155

Index nominum et rerum 161

Libri adhibiti

(Recensentur ea tantum opera, quae pluribus vicibus adhibita sunt)

Sigla operum quae saepius citantur:

ADB = Allgemeine Deutsche Biographie
CSEL = Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum
CT = Concilium Tridentinum
DTC = Dictionnaire de Théologie Catholique (Vacant-Mangenot)
LThK = Lexikon für Theologie und Kirche (Buchberger)
MA = Miscellanea Agostiniana
ML = Migne, Patrologiae Cursus completus, Series Latina
RA = Revue Apologétique
RchSR = Recherches de science religieuse
RQS = Römische Quartalschrift
RvSR = Revue des sciences religieuses
ThGl = Theologie und Glaube
TQS = Theologische Quartalschrift (Tübingen)

Adam K., Die kirchliche Sündenvergebung nach dem hl. Augustin, in Forschungen zur christl. Literatur- und Dogmengesch. XIV, 1. Paderborn 1917.

Altaner B., cf. Rauschen.

Augustinus, cf. Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum, et Migne.

Bardenhewer O., Geschichte der altkirchlichen Literatur, IV. Bd. Freiburg 1924.

De Blic J., S.J., Le péché originel selon Saint Augustin, in RchSR 16 (1926), 97—119; 17 (1927), 414—433; 512—531.

Boyer C., S.J., Essais sur la doctrine de St. Augustin. Paris 1932.

— St. Augustin (dans Les moralistes chrétiens, Textes et commentaires). Paris 1932.

— De Deo Creante, ed. 2. Romae 1933.

Casamassa A., O.S.A., art. Agostino, in Enciclopedia Italiana I, 913—923.

Cavallera F., S.J., Le décret du concile de Trente sur le péché originel, in Bulletin de littérature ecclesiastique (Toulouse) 1913, 241—258; 289—315.

Cayré F., A.A., Précis de Patrologie. 2 Vol. Paris 1927.
Concilium Tridentinum. Diariorum, actorum, epistularum, tractatuum nova collectio. Edidit Soc. Goerresiana. Friburgi 1901 sqq.
Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum. S. Augustini Opera: Vol. 12, 25, 28, 33, 34, 36, 40—44, 51—53, 57, 58, 60, 63. Vindobonae 1887 sqq. (Citatur ita, ut primus numerus indicet volumen, secundus paginam, tertius lineam, v. g. CSEL 40 II, 581, 9—582, 17 = Vol. 40, Pars II, pag. 581, linea 9—pag. 582, linea 17.)
Denifle H., O.P., Die abendländischen Schriftausleger bis Luther über Justitia Dei (Rom. 1, 17) und Justificatio. Mainz 1905.
Donau F., S.J., La pensée de Saint Augustin sur la nature du péché originel, in RA 34 (1922), 414—425; 486—495.
Dumont P., S.J., Le surnaturel dans la théologie de St. Augustin, in RvSR 11 (1931), 513—542; 12 (1932), 29—55; 194—219.
Ehses St., Johann Groppers Rechtfertigungslehre auf dem Konzil von Trient, in RQS 20 (1906) Geschichte, 175—188.
— Der Anteil des Augustinergenerals Seripando an dem Trienter Dekret über die Rechtfertigung, in RQS 23 (1909) Geschichte, 3—15.
Espenberger J.N., Die Elemente der Erbsünde nach Augustin und der Frühscholastik, in Forschungen zur christl. Lit. und Dogmengeschichte V, 1. Mainz 1905.
Gardeil A., O.P., La structure de l'âme et l'expérience mystique. 2 Vol. Paris 1927.
Garrigou-Lagrange R., O.P., De natura creata per respectum ad supernaturalia secundum S. Augustinum, in Acta Hebdomadae Augustinianae-Thomisticae. Taurini-Romae 1931, 223—240.
Gilson E., Introduction à l'étude de St. Augustin. Paris 1929 (bibliographia: 309—331). — Versio germanica: Der hl. Augustin. Eine Einführung in seine Lehre. Aus dem Französischen übersetzt von P. Philotheus Böhner und P. Timotheus Sigge O.F.M. Hellerau (1930).
Gonzalez R., O.S.A., Bibliographia Agustiniana del Centenario, in Religion y Cultura, t. 15, a. 4 (1931), 461—509.
Grabmann M. — Mausbach J., Aurelius Augustinus. Festschrift der Görresgesellschaft zum 1500. Todestage des hl. Augustinus. Köln 1930.
Grisar H., S.J., Luther. Freiburg i. B., 1. Bd., 3. Aufl. 1924, 2. u. 3. Bd, 1 u. 2. Aufl. 1911/12.
De Groot J. F., S.J., Conspectus Historiae Dogmatum. 2 Vol. Romae 1931.

Hamel A., Der junge Luther und Augustin. I. T. Gütersloh 1934.
Hamma M., Die Lehre des hl. Augustinus über die Concupiscenz, in TQS 55 (1873), 418—461; 547—597.
Harnack A., Lehrbuch der Dogmengeschichte. 3 Bde. 4. Aufl. Tübingen 1909/10.
Hefele, C.J. von, Conciliengeschichte. 9 Bde. Freiburg i. B. 1873—1890. (8. und 9. Bd. von J. Card. Hergenröther.)
Hefner J., Die Entstehungsgeschichte des Trienter Rechtfertigungsdekretes. Paderborn 1909.
Hergenröther J., — Kirsch J. P., Handbuch der allgemeinen Kirchengeschichte. 4 Bde. 5. Aufl. Freiburg 1911—1917.
Hofmann F., Wandlungen in der Frömmigkeit und Theologie des hl. Augustinus, in ThGl 22 (1930), 409—431.
Hünermann F., Die Bußlehre des hl. Augustinus, in Forschungen zur christl. Literatur- und Dogmengeschichte XII, 1. Paderborn 1914.
— Die Rechtfertigungslehre des Kardinals Contarini, in TQS 102 (1921), 1—22.
— Wesen und Notwendigkeit der aktuellen Gnade nach dem Konzil von Trient, in Forschungen (ut supra) XV, 4. Paderborn 1926.
Ihmels, art. Rechtfertigung, in Realencyclopädie für prot. Theologie (Herzog — Hauck). Leipzig 1896—1913, Bd. XVI (1905), 482—515.
Jauncey E., The doctrine of grace up to the end of the pelagian controversy. London 1925.
Jedin H., Ein Streit um den Augustinismus vor dem Tridentinum (1537—1543) in RQS 35 (1927) Geschichte, 351—368.
— Studien über die Schriftstellertätigkeit Albert Pigges, Münster 1931.
Koch W., Das Trienter Konzilsdekret de peccato originali, in TQS 95 (1913), 430—450; 532—564; 96 (1914), 101—123.
Kors J. B., O.P., La justice primitive et le péché originel d'aprés S. Thomas. Les sources. La doctrine, in Bibliothèque thomiste (t. II). Le Saulchoir, Kain. 1922.
Mausbach J., Die Ethik des hl. Augustinus. 2 Bde. 2. Auflage. Freiburg 1929.
Merlin N., O.S.A., St. Augustin et les dogmes du péché originel et de la grâce. Paris 1931.
Migne J. P., Patrologiae Cursus completus, Series latina. S. Augustini Opera omnia. Tom. 32—47. Parisiis 1841—1849.
Miscellanea Agostiniana. Testi e Studi. 2 Vol. Romae 1930.
Nebreda E., O.S.A., Bibliographia Augustiniana. Romae 1928.

Pallavicino S., S.J., Istoria del Concilio di Trento. Roma 1664. — Versio latina a P. J. B. Giattino S.J. Coloniae Agrippinae 1717.
Pastor L. v., Geschichte der Päpste, Bd. V. 8. und 9. Auflage, Freiburg 1925.
Philips G., La raison d'être du mal d'après St. Augustin. Louvain 1927.
Portalié E., S.J., art. Augustin, in DTC I, 2268—2472.
Poschmann B., Die kirchliche Vermittlung der Sündenvergebung nach Augustinus, in: Zeitschrift für kath. Theologie 45 (1921) 208—228; 405—432; 497—526.
Rauschen G. — Altaner B., Patrologie. 10. und 11. Auflage, Freiburg 1931.
Rivière J., art. Justification, in DTC VIII, 2077—2227.
— art. Mérite, in DTC X, 574—785.
Rückert H., Die Rechtfertigungslehre auf dem tridentinischen Konzil. Bonn 1925.
— Die theologische Entwicklung Gasparo Contarinis. Bonn 1926.
Schanz P., Die Lehre des hl. Augustinus über die Rechtfertigung, in TQS 83 (1901), 481—528.
Schwane J., Dogmengeschichte. 2. Bd. 2. Aufl. Freiburg 1895.
Seeberg R., Lehrbuch der Dogmengeschichte. 2. Bd. 2. Aufl. Leipzig 1910.
Stakemeier E., Glaube und Heiligkeit nach der Lehre des Trienter Konzils. Bozen 1935.
— Das Trienter Konzil über den Glauben im Stand der Ungnade. RQS 42 (1934) Geschichte, 147—172.
— Glaube und Buße in den Trienter Rechtfertigungsverhandlungen. RQS 43 (1935) Geschichte, 157—177.
Tixeront J., Historie des dogmes dans l'antiquité chrétienne. Vol. II. 8 ème édition. Paris 1924.
Vega A., O.F.M., Tridentini decreti de justificatione expositio et defensio. Compluti 1564.
Zarb S., O.P., Chronologia Tractatuum S. Augustini in Evangelium primamque Epistolam Joannis Apostoli, in Angelicum 10 (1933), 50—110.
— De anno consecrationis episcopalis S. Augustini, ib., 261—285.
— Chronologia operum S. Augustini, ib., 359—396; 478—512; 11 (1934), 78—91.

INTRODUCTIO HISTORICA

Doctrina de duplici justitia saeculo 16

Caput I.

Origo theoriae ejusque historia usque ad Concilium Tridentinum

Doctrina Protestantium de justitia imputata, proposita cum magno apparatu scripturistico et patristico, nova problemata posuit theologis catholicis. Statim ab initio Lutheranismi multi insurrexerunt defensores veritatis catholicae,[1] qui conati sunt dijudicare, quid veritatis immixtum esset erroribus Reformatorum, et explicare auctoritates quae objiciebantur. Non omnia tamen hujusmodi tentamina feliciter successerunt, cum interdum hi controversistae inciderent in errores extreme oppositos, ita ut faverent Pelagianismo,[2] interdum Novatoribus nimium concederent. Sic praesertim fautores doctrinae de duplici quae dicitur justitia; quae theoria per aliquot annos satis exagitavit animos, tum in Germania, tum in Italia. Qui praedictam theoriam proposuerunt, licet in quibusdam inter se discreparent, in hoc uno tamen principio conveniebant: Homo justificatur tum per justitiam sibi inhaerentem tum per justitiam ipsius Christi, quae ei misericorditer imputatur; justitia Christi non est solummodo causa meritoria, sed etiam causa formalis nostrae justificationis complete sumptae.

Tamquam auctor hujus doctrinae hactenus plerumque perhibebatur Albertus Pighius (Pigge vel Pigghe),[3] Batavus (1490[?]—1542), qui anno 1517 in universitate Coloniensi lauream Theologiae ad-

---

[1] Cf. Hurter, Nomenclator literarius IV (Oeniponte 1899), 1184—1250; Hefner 165—208; Rivière in DTC VIII, 2154—2164 (ubi amplior bibliographia); Grabmann, Geschichte der katholischen Theologie, Freiburg 1933, 148—154; 323 sq. (bibliographia).

[2] Sic A. Pighius, cf. CT I, 82, 43—83, 4; V, 212, 21—23, et nota 6.

[3] Hefele IX, 936—938; Hergenröther III, 466 sq.; Ehses in RQS 20 (1906) Geschichte, 183 (de theologis anterioribus, qui pro hac sententia citantur, v. infra, p. 32); Van Slee in ADB XXVI, 125 sq.; Rivière in DTC VIII, 2159 sq.; Jedin, Studien über die Schriftstellertätigkeit Albert Pigges, Münster 1931; Amann in DTC XII, 2094—2104.

eptus, ibidem postea docuisse putabatur, sed immerito. Certum est doctrinam de duplici justitia prima vice in scriptis prolatam esse anno 1538 a Joanne Gropper (1503—1559),[4] tunc temporis canonico Xantensi, qui in archidioecesi Coloniensi plurima graviora munera gesserat. Libro, in quo propugnavit hanc theoriam, titulus erat „Enchiridion christianae institutionis". Dependebatne Gropper a Pighio? Haec opinio hodie vix jam sustineri potest,[5] sed videtur potius Pighius dependere a Gropper, vel uterque independenter ab altero hanc ideam concepisse, cum notabiles differentiae inter systema utriusque inveniantur.

Paulo post doctrina „Coloniensium", ut communiter dicebantur, alium magnae auctoritatis patronum nacta est, nempe Cardinalem Gasparem Contarenum (Gasparo Contarini),[6] qui tamquam legatus pontificius colloquio Ratisbonensi, habito anno 1541,[7] interfuit. Ubi in quaestione de justificatione collocutores catholici, Gropper, Julius Pflug[8] et post aliquam resistentiam etiam Joannes Eck,[9] et protestantes, Melanchthon, Bucer et Pistorius, convenerunt de aliqua formula acceptanda, quae pro magna parte a Gropper et Pighio secundum sua placita redacta erat. Attamen etiam postea acriter utrimque disputatum est. Luther rejecit formulam Ratisbonensem ut rem artificialiter consutam et conglutinatam („ein geflickt und geleimt Ding");[10] contra Cardinalem Contarenum plures Cardinales et alii theologii insurrexerunt.[11] Patrocinium duplicis justitiae susceperunt Cardinales Reginaldus Polus[12] et Joannes

---

[4] L. Ennen in ADB IX, 734—740; Hergenröther III, 466 sq.; Hefner 168; 175—181; 196 sq.; 260, nota 3; A. Humbert in DTC VI, 1880—1885 (ubi satis ampla bibliographia); J. Schmidlin in LThK IV, 710 sq.

[5] Cf. Jedin, op. cit. in nota 3, 96—123. (Hujus investigationis Amann in DTC XII, 2094—2104, rationem non habet.)

[6] CT XII, 313—322; Hefner 181—199; B. Heurtebize in DTC III, 1615 sq.; Hünermann in LThK III, 39 sq. Pro bibliographia vide praeterea Rückert, Contarini, 1, nota 1.

[7] Hefner 186—188; Hergenröther III, 468—470; Pastor V, 294—336.

[8] Brecher in ADB XXV, 688—691; Cristiani in DTC XII, 1366—1369. Praeter bibliographiam ibi indicatam: A. Jansen, J. Pflug, in Neue Mitteilungen aus dem Gebiet hist.-antiquar. Forschungen X, 1, p. 1—110; 2, p. 1—212 (Halle 1864).

[9] Metzler in LThK III, 523—526 (de colloquio Ratisbonensi non omnino accurate; cf. locum citatum ex Janssen in suo contextu, et Pastor V, 309).

[10] Hefner 197; Hergenröther III, 470, nota 2.

[11] Hefner 187 sq.; 197—208; Pastor V, 318—322; 333—337.

[12] Hefner 34—36; 197; 208, nota 1; Pastor V, 318; 335—337; Rückert, Contarini, 96.

Moronus.[13] Vehementissime restitit Card. Hieronymus Aleander,[14] minus vehementer, sed omnino acute et sagaciter Card. Jacobus Sadoletus,[15] qui in suo tractatu accurate distinxit inter vera et falsa elementa hujus theoriae.

Anno 1542 duo opera Alberti Pighii in lucem prodierunt, videlicet „Controversiarum praecipuarum in Comitiis Ratisponensibus tractatarum . . . explicatio", et „De libero hominis arbitrio et divina gratia libri decem", anno vero 1544 Gropper contra Bucerum scripsit suum „Antididagma". Die 9. Julii ejusdem anni universitas Lovaniensis quattuor capita doctrinae ex hoc libro excerpta proscripsit; universitas autem Coloniensis Gropperum defendit.[16]

Caput II.

Theoria duplicis justitiae in Concilio Tridentino

Quando post multas difficultates superatas Concilium tam diu expectatum Tridenti congregatum fuit, Albertus Pighius et Card. Contarenus jam a tribus annis mortui erant, Gropper autem concilio non interfuit. Nihilominus doctrina duplicis justitiae ibi habuit strenuos defensores, inter quos eminebat Hieronymus Seripandus (Girolamo Seripando, vel, secundum alios, Seripandi),[1] Generalis Ordinis Eremitarum S. Augustini.

Natus 1493 Trojae in Apulia, 1507 Neapoli nomen dedit Ordini Erem. S. August., cujus Generalis fuit annis 1539—1551, deinde ab anno 1554 archiepiscopus Salernitanus; creatus cardinalis a. 1561, mortuus est Tridenti ut legatus pontificius, die 17. Martii 1563.

Homo erat egregiis dotibus instructus, virtutis et doctrinae laude apud coaevos insignis.[2] Sicut in discussionibus de S. Scriptura et Traditione et de peccato originali,[3] ita et in confectione decreti

---

[13] Pastor V, 309; 336.

[14] Hefner 198.

[15] Hefner 183—186; 199—207. Textum tractatus vide CT XII, 322—325.

[16] DTC VI, 1883; Fr. Dittrich, Lovaniensium et Coloniensium theologorum de Antididagmate Jo. Gropperi judicia, Braunsberg 1896.

[1] Merkle in CT II, LXI—CVIII; Hefner 55sq.; 110—113; 212—221; 239—244, et alibi passim. Praeter bibliographiam apud utrumque indicatam: Ehses in RQS 23 (1909) Geschichte, 3—15; Pastor V, 353—356; 600—604, et alibi passim; Rückert, Rechtfertigungslehre, 217—256.

[2] Ehses in RQS 20 (1906) Gesch., 177; Merkle in CT II, LXXIV, 11—29.

[3] CT XII, 483, 24—496, 52: Tractatus de libris S. Scripturae; ib., 517, 28—521, 52: Tractatus de Traditionibus; ib., 541, 1—549, 37: De peccato originali.

de justificatione utilissimam navavit operam, non obstante sua adhaesione ad theoriam duplicis justitiae.

Die 22. Junii 1546 theologi discutere coeperunt de materia justificationis.[4] Seripandus jam in votis, quae die 13. et 23. Julii in congregationibus pronuntavit,[5] suam doctrinam de duplici justitia innuit,[6] pariter in duplici schemate decreti, quod rogante Card. Cervino, usque ad diem 11. resp. 19. Augusti, elaboraverat[7]. Cum vero haec schemata, antequam congregationi generali proponerentur, quod factum est die 24. Septembris, jam graves mutationes contra mentem Seripandi subissent, ita ut omnia expuncta essent, quae duplici justitiae favebant,[8] die 8. Octobris ex professo in congregatione generali quaestionem proposuit: una ne sit an duplex justitia, qua justificamur?[9]

Die 15. Octobris quaestio discutienda proposita est theologis,[10] qui eam decem congregationibus usque ad diem 26. Octobris tractabant.[11] Sententia definitiva fuit haec: 5 astipulati sunt opinioni Seripandi, ceteri 32 eam rejecerunt.[12] Immo in discussione praelatorum, a die 9. Novembris usque ad 1. Decembris, nullus simpli-

---

[4] Hefner 83—86; CT V, 257—261.

[5] CT V, 332, 35—336, 27; 371, 14—375, 38.

[6] Quod tamen tunc nemo advertisse videtur. Cf. CT V, 336, nota 14.

[7] Ib., 821, 1—828, 29; 828, 30—833, 11; Ehses in RQS 20 (1906) Geschichte, 178 sq.

[8] CT II, 430, 3—11. Cf. CT V, 420, 28—426, 22.

[9] CT V, 485, 36—488, 23; 489, 25—33; Hefner 213—216.

[10] CT II, 431, 23—432, 2; V, 523. 11—16.

[11] CT V, 523, 20—632, 30.

[12] CT V, 632, 8—30; Pallavicino, l. 8, c. 11, n. 7: „Qui vero dixerunt, inhaerentem justitiam non sufficere, sed esse opus imputatione justitiae Christi, sunt infrascripti, videlicet:

Aurelius Philipputius Ord. Eremit., de Rocca contrata;
Antonius Solisius, doctor saecularis Hispanus;
Marianus Feltrinus Ord. Eremit. Feltrensis;
Laurentius Mazochius Ord. Serv. de Castro franco;
Stephanus Ord. Erem. de Sestino“ (CT V, 632, 26—30).

Vincentius Leontinus Carmelitanus admisit opinionem Seripandi quoad justos mortuos ante passionem Christi et eos, qui baptismum non in re, sed in voto tantum susceperunt, non quoad ceteros (CT V, 526, 41—529, 16; Pallavicino, l. c.).

Bartholomaeus Miranda O.P. prius admiserat duplicem justitiam (CT V, 432, 44 sq.), sed in congregatione diei 18. Octobris omnino contrarium defendit (ib., 549, 45—551, 46). Nimis benigne interpretatus est Pighium (ib., 550, 43—46).

Cur Rückert (Rechtfertigungslehre, 239) non numeret nisi 30 theologos contra Seripandum, non apparet.

citer adhaesit propositionibus Seripandi.[13] Qui postquam diebus 26/27. Novembris iterum suam sententiam in forma mitigata proposuit,[14] cum nec sic acceptaretur,[15] judicio Synodi se submisit, quamvis non sine dolore animi.[16]

Die 13. Januarii 1547 in sessione sollemni editum est decretum de justificatione, septem fere mensibus laboriose expolitum. Doctrina de duplici justitia ibi non quidem in canonibus ut haeretica rejecta est, sed verba decreti ita selecta fuerunt, ut eam omnino excluderent.[17]

His breviter praejactis de historia externa, jam accedendum est ad ipsam theoriam exacte exponendam.

---

[13] Episcopus Canariensis, Antonius De la Cruz, in multis convenit cum Seripando (CT II, 432, 7—21; V, 671, 7—22; 720, 36 sq.; 761, 51 sq.), tamen non tenuit duplicem justitiam eodem sensu (ib., 471, 3; 654, 23—37; 690, 14—16). Quoad ejus sententiam de justificatione per „acceptationem divinam" cf. Hefner 242—244. Vide etiam votum Generalis Conventualium, CT V, 479—484, praes. 481, 3—483, 6, qui, licet adversarius duplicis justitiae, tamen loquitur de aliqua justitia per acceptationem.

Thomas Sanfelice, episcopus Cavensis, defenderat aliquam justitiam imputatam et justificationem per solam fidem, quae tamen fides ei non erat identica cum fide fiduciali lutherana (CT V, 291, 15 sq.; 294, 26—296, 15; 347, 1—15; 352, 23—354, 20; 383, 15—18). Sed post rixam cum episcopo Chironensi (die 17. Julii) ex Tridento recedere debuit. (CT I, 90—93; 95—97; 561, 5—19; 561, 40—562, 3; 563, 34 sq.; II, 385, 6—26; V, 348, 16—25; 354, 21—360, 5; 361, 46—363, 5; 396, 32—397, 34; X, 565, 21—33; 569, 24—30; 572, 18 sq; 576, 5—9.)

Julius Contarenus, Gasparis Contareni nepos, episcopus Bellunensis, qui similes defenderat sententias (CT V, 322, 5—8; 325, 1—327, 16; 364, 45—365, 3; 383, 15—18), eodem fere tempore, quo illa rixa locum habuit, videtur abiisse. (Rückert, Rechtfertigungslehre, 162.) De utroque cf. Hefner 209—212; Rückert, op. cit., 158—168; 232—238.

Praeterea videntur aliqui Patres, antequam die 12. Octobris quaestio distincte poneretur, duplici justitiae favisse vel saltem ancipites haesisse. Vide in voto Generalis Conventualium, die 7. Octobris (CT V, 481, 3—12). Cf. ib. de theologis: 432, 44 sq.; 447, 28; de Patribus: 451, 10—12; 473, 29; 475, 32—49 [?]; 659, 15 [?].

[14] CT V, 663, 1—31; 664, 3—665, 18; 666, 11—675, 9. Cf. 687, 8—13.

[15] Ib., 691, 9—11.

[16] CT II, 432, 3—6; V, 674, 43; 676, 1—5. Similiter se subjecerunt et alii fautores duplicis justitiae; cf. Hefner 260, nota 3. Utrum locus citatus 276, nota 2, probet intentum, dubitari potest. Certum tamen est, in Seripandi Commentariis in Epistolas ad Rom. et ad Gal. nihil apparere de duplici justitia, iis quoque locis, ubi vel maxime expectaretur. Cf. etiam Appendicem hujus dissertationis (p. 155).

[17] Cf. in definitiva forma decreti cap. 7 (CT V, 793, 24—794, 9, praesertim 793, 35—39) et cap. 16 (797, 15—20) cum formis prioribus (ib., 423, 28—37; 426, 18—22; 512, 18—20; 515, 12—19; 636, 36—39; 710, 11—16) et cum duplici schemate Seripandi (ib., 825, 5—10; 829, 39—46); Rückert, Rechtfertigungslehre, 255 sq.

PRIMA PARS

Doctrina de duplici justitia ab Hieronymo Seripando in Concilio Tridentino proposita

Caput I.

Introductio generalis

Doctrinam Hieronymi Seripandi prae ceteris fautoribus duplicis justitiae investigare juvabit, tum quia eruditione theologica et auctoritate personali ipse in Concilio plurimum valuit, tum quia plus ceteris suam doctrinam ex Doctore Gratiae, S. Augustino, probare nisus est. Ad cognoscendam ejus doctrinam praesertim scripta ejus conciliaria adhibebuntur, quia cetera Seripandi opera vel nondum sunt typis edita vel minoris momenti theologici. Excipienda essent solummodo Commentaria in S. Pauli Epistolas ad Romanos et ad Galatas, cum responsionibus ad nonnullas quaestiones ex textu Epistolae ad Galatas.[1] Sed neque ibi quidquam invenitur de duplici justitia. Curnam hoc? Tria ista opera scripta quidem sunt ante sessionem de justificatione, sed publicationi non destinata nisi anno 1547;[2] fieri itaque potuit, ut auctor post definitionem conciliarem aliquid emendaret. Verosimilius tamen est, attenta brevitate expositionis et scopo polemico, ab initio ea tantum fuisse proposita, quae pertinent ad doctrinam omnibus catholicis communem. Restat ergo, ut doctrinam Seripandi eruamus ex ipsius scriptis conciliaribus, variis nempe tractatibus, votis dictis in congregationibus, diariis etc.[3] Caute utendum est testimoniis aliorum, quia non semel ei attributae sunt doctrinae, quas nunquam docuit. Ipsi Legati in Consilio eum contra accusationes de haeresi defendere

---

[1] Haec omnia, addita Seripandi Vita a F. Milensio conscripta, typis excusa sunt Neapoli, anno 1601.

[2] CT II, LXXXVII, 30—44.

[3] Vide CT II; V; XII. In t. X, inter epistolas, una tantum a Seripando scripta exhibetur (457, 36—458, 39), neque haec est ad rem nostram. In t. XII. habetur etiam „Trattato della Giustificazione al magnifico M. Lattantio“ (824—849), conscriptus a. 1543 (cf. Jedin in RQS 35 (1927) Gesch., 351—368), ubi duplex justitia nondum quidem explicite docetur, sed dignosci possunt germina quaedam doctrinae postea in Concilio propositae.

debuerunt.[4] Dionysius de Zanettinis, episcopus Chironensis, eum accusavit Lutheranismi, praesertim ei adscripsit doctrinam, quod voluntas in justificatione se haberet mere passive,[5] contra Seripandi asserta maxime explicita.[6] Alii affirmaverunt eum negasse gratiam inhaerentem.[7] Post quindecim annos, cum ageretur de ejus promotione ad cardinalatum, iterum fuerunt, qui propter ejus doctrinas (vel saltem sub hoc praetextu) difficultates moverent, ne ad hanc dignitatem elevaretur.[8]

Plurimae aequivocationes versabantur circa ejus doctrinam de fide justificante. Verum quidem est Seripandum, imitando modum loquendi S. Pauli et S. Augustini, saepissime justificationem simpliciter fidei tribuere.[9] Omnino nolebat fidem ut meram dispositionem assignari, sed instabat, ut in decreto poneretur tamquam medium applicativum meritorum passionis Christi.[10] Ideo in suspicionem incurrit docuisse aliquid simile fidei fiduciali Protestantium.[11] Immerito tamen, etenim: primo, fidem non reponit in fiducia, sed in assensu intellectuali,[12] et fiduciam a fide distinguit tamquam effectum a causa;[13] secundo, semper intelligit fidem caritate formatam vel, ut ipse praefert dicere, „quae per dilectionem operatur“ (Gal. 5, 6).[14] Si quando loquitur de justificatione per solam fidem, tamen satis bene se explicat, v. g.: „An ante caritatem homo possit dici sola fide justificatus. Dico, ut dixi de justificatione loquens, quod justificatio fidei numquam est nec esse potest sine justificatione caritatis. Alter tamen est justificationis fidei effectus, alter

---

[4] CT II, 431, 11—18; V, 496, nota 1.

[5] CT X, 539, 19—36; 586, 16—21; 587, nota 2. (Cf. Hünermann, Wesen und Notwendigkeit der aktuellen Gnade, 39—43.)

[6] CT V, 333, 35—334, 31. Cf. ib., 280, 10—14; 316, 30 sq.; 321, 40—42; 383, 20 sq.)

[7] CT XII, 635, nota 6. In contrarium vide: CT V, 664, 34 sq.; 667, 36—39; 674, 33 sq., etc.

[8] Cf. Merkle in CT II, LXIV, 35—37; LXX, 9 sq., et nota 10; 463, nota 10.

[9] CT V, 335, 32—336, 3; 336, 13—17; 731, 21—25; 734, 15; 736, 43, nota 3; XII, 620, 18—621, 10; 621, 29—39; 623, 39—624, 5; 847, 36—43.

[10] CT II, 431, 4—8; V, 489, 37—45; 663, nota 2; 725, 43—726, 40; 743, 1—31.

[11] Cf. Pallavicino, l. 8, c. 11, n. 4.

[12] CT V, 824, 31—825, 5; 825, 12—27; 830, 1—16; XII, 827, 30—34.

[13] CT V, 335, 46; XII, 620, 39—621, 7; 829, 15—20; 830, 10—45.

[14] CT V, 829, 47—830, 16; XII, 636, 17—19; 829, 20—830, 9; Rückert, Rechtfertigungslehre, 169—171. Cf. etiam: De locis epistolae ad Galatas ... quaestiones 67 (Neapoli 1601), q. 5, p. 362—365; q. 11, p. 381—384; q. 32, p. 440—446; q. 38, p. 454 sq.; et alibi passim, praes. q. 61, p. 502—506.

caritatis, quorum primus etsi non re, secundum tamen nostrum modum intelligendi effectum caritatis praecedit. Effectus justificationis fidei est remissio peccatorum. Effectus justificationis caritatis est juste vivere. Et primus soli fidei tribuitur... Si caritas causa esset remissionis peccatorum, ut multi imaginantur, opera essent causa remissionis peccatorum, quia caritas numquam est otiosa. Id falsum est, quoniam Augustinus ait, quod justificatus per fidem juste operatur, sed ad fidei justificationem non pervenit juste antea operatus, sed sola gratia Dei. Justificatio autem per fidem quid est nisi peccatorum remissio?[15] Propterea docuimus ex Augustino, De spir. et litt., c. 36,[16] quod justificatio caritatis impetratur fide. Ante ergo caritatem homo justus est justificatione fidei, quam aliam esse non intelligo nisi remissionem peccatorum ..."[17] Ex toto contextu patet, auctorem concipere processum justificationis modo scotistico, ita ut simpliciter prior sit remissio peccatorum quam infusio gratiae, quae tamen non re, sed ratione tantum posterior est.[18] Utrum haec doctrina admittenda sit, maxime utrum remissio peccatorum tribui possit fidei sine caritate saltem aliquomodo praecedente, non est hic discutiendum; attamen nemo non videt, talem opinionem longe distare a doctrina Lutheri. Quod confirmatur textu sequenti: „Remissio peccatorum pars est essentialis quasi materia, nam genus se habet ut materia, caritas autem est pars essentialis tamquam forma. Perficit enim justitiam."[19]

Proinde saltem aequivoca sunt, quae scribit Pallavicinus in sua Historia Concilii Tridentini, ceteroquin egregia: „Supra narravimus, a Seripando hujusmodi fidem astrui, cui esset justificatio tribuenda. non modo tamquam illius principio, sed tamquam causae certissimae, affirmando, per talem fidem in Redemptorem ejusdem Redemptoris merita nobis applicari ..."[20]

---

[15] De div. quaest. 83, q. 76, n. 1. ML 40, 88 (non verbotenus).

[16] N. 64—66. ML 44, 243—246. CSEL 60, 224, 20—229, 12.

[17] CT XII, 630, 30—631, 2.

[18] Cf. Seripandi votum die 13. Julii, ubi distinguit „justificationem" et „sanctificationem", praesertim CT V, 333, 18—22; 336, 4—12. Eadem distinctio sed terminologia diversa apud C. Mussum, episcopum Bituntinum; ib., 317, 27—35. Cf. etiam votum Julii Contareni, ib., 295, 13—33; et defensionem Sanfelicii, ib., 347, 6 sq.

[19] CT XII, 675, 23—25. Cf. ib., 675, 10. 14 sq.

[20] „Già dicemmo, ch'egli poneva una tal fede alla quale si dovesse attribuir la giustificazione non solo come a principio, ma come ad infallibil cagione di essa; tenendo che per mezzo di cotal fede ci si applicassero i meriti dello

Sed diffitendum non est, ipsum Seripandum talibus interpretationibus suae doctrinae aliquatenus ansam praebuisse. Sunt quaedam in ejus scriptis, quae etiam nobis difficilem reddunt interpretationem. Sermone quidem utitur eleganti et in genere satis perspicuo, sed saepe non adhibet terminologiam philosophicam scholasticis familiarem. Nam licet omnino excultus in disciplinis philosophicis,[21] tamen philosophiam minoris facit et aliquando deprimit, utpote quae angustis notionibus suis sublimes fidei veritates obscuret.[22] Ipse potius delectatur modo loquendi S. Augustini, absque praecisionibus illius, quas posteriores theologi addiderunt.

Accedit quod numquam totam suam doctrinam systematice exponit, sed per partes eam proponit, hic respondendo ad objectiones, illic invocando auctoritates, deinde etiam modificando et extenuando suas priores affirmationes, quando nimis premitur ab adversariis.

Nihilominus ex fontibus authenticis ejus opinio, in quantum fieri potest, systematice proponetur.

Caput II.

Doctrinae de duplici justitia forma prior

§ 1. Status quaestionis in Concilio

Ipse Seripandus accurate indicavit statum quaestionis, cum die 12. Octobris, rogantibus Legatis, quaestionem a theologis examinandam sic formulavit: „An justificatus apud divinum tribunal judicandus sit tantum ex sua inhaerente justitia, seu ex operibus suis in gratia factis — an cum hac inhaerente justitia opus habeat misericordia Dei et justitia Christi, hoc est merito et passione ejus, qua suppleantur defectus suae justitiae, quae Christi justitia non tota

---

stesso Redentore." (Op. cit., l. 8, c. 11, n. 4.) — Neque quod habet Rivière (DTC VIII, 2183), justificationem nempe per solam fidem esse „elementum systematis" duplicis justitiae, quoad ipsum Seripandum sine restrictione admittendum est, nisi scil. „justificatio" sumatur pro sola remissione peccatorum. Etiam Laurentius Mazochius, loquens de „sola fide", intelligit fidem formatam (CT V, 583, 42—44) et longe est a conceptu lutherano (Rückert, Rechtfertigungslehre, 241, nota 5).

[21] CT II, LXII, 11—35. LXXXV, 1; XII, 668, nota 3.

[22] CT V, 672, 18—673, 9; 743, 27 sq.: „Sed has angustias nobis parit philosophia, dum volumus ex ejus praescripto de divinis loqui mysteriis." Cf. etiam CT XII, 614, 10—13.

omnibus communicatur, sed secundum divinam dispensationem seu secundum mensuram fidei et caritatis."[1]

Cui formulae Legati aliam substituerunt, quae sic se habet: „Utrum justificatus, qui operatus est bona opera ex gratia et auxilio divino a meritis passionis Jesu Christi profecto, ita ut retinuerit inhaerentem justitiam, et praesentans se cum illa ante tribunal Christi, censendus sit satisfecisse divinae justitiae ad meritum et acquisitionem vitae aeternae — an vero cum hac inhaerente justitia opus insuper habeat misericordia Dei . . ." (etc., ut supra, fere verbotenus).[2]

Hanc quaestionis formam Seripandus saltem tacite agnoscit ut suae propriae aequivalentem. Agitur ergo de homine, qui *a)* in momento mortis habet justitiam inhaerentem, id est gratiam sanctificantem, *b)* retinuit eam, seu conservavit per aliquod tempus, a prima vel saltem ab ultima justificatione, *c)* ex gratia Christi operatus est bona opera. De tali homine asserit Seripandus: si respiciantur mere tria elementa enumerata, talis homo nondum habet jus ad vitam aeternam, sed in rigore justitiae adhuc potest damnari, nisi ei per misericordiam Dei imputetur justitia Christi, qua dignus fiat vitae aeternae.

Curnam hoc? Ut haec conclusio Seripandi in connexione logica cum tota ejus doctrina appareat, necesse est prius intelligatur ejus doctrina de concupiscentia.[3]

§ 2. De concupiscentia

Hanc partem Seripandus magis systematice proponit quam sequentes. Ideo ejus sententia fere tota exponi potest secundum tractatus De peccato originali et De concupiscentia, quorum prior post diem 24. Maji, alter post diem 14. Junii conscriptus est.[4] Nostra praesertim interest quid circa „peccati originalis perseverantem malitiam" (scil. concupiscentiam remanentem post justificationem) ibidem statuerit.

„Primum est: Non potest negari, quando malum id seu vitium, quod in regeneratis remanet, p e c c a t u m a l i q u a r a t i o n e

---

[1] CT II, 431, 23—27.

[2] L. c., 431, 29—36; (V, 523, 11—16).

[3] Cujus tamen hucusque ratio habita non est in exponenda doctrina Seripandi neque ab H e f n e r neque a R ü c k e r t; notatur tamen a J e d i n in art.: Agostino M o r e s c h i n i († 1559) und seine Apologie Augustins, in G r a b m a n n - M a u s b a c h, Aurelius Augustinus, 149.

[4] CT XII, 541, 1—549, 37 et 549, 38—553, 16. Addi possunt quaedam ex Trattato della Giustificazione (ib., 824—849).

dici possit. Probatur ex Augustino ...[5] Secundum dictum: Non potest dici peccatum, id [est?] omnem in se habere peccati rationem... non est peccatum ea ratione, qua peccatum dicit reatum ..., non est peccatum ea ratione, qua peccatum facit consensus ...[6] Tertium dictum: Vestigandum est, quibus rationibus peccatum appellatur, ut, qui pro contionibus peccatum nuncupant, eas rationes explicent, quibus etiam rationibus peccatum non est, ut, qui peccatum non esse contendunt, eas quoque explanent. Declaro primam partem. Appellatur peccatum... *a)* quia peccato facta est... *b)* quia, si vincit peccati causa est... *c)* quia est poena peccati... *d)* quia in causa est, ut legem et bonum perfecte non impleamus ...“[7] Non potest enim, manente concupiscentia, impleri praeceptum: Non concupisces (Ex. 20, 17), et si motibus concupiscentiae denegatur consensus, bonum quidem fit, sed non perficitur, secundum Augustini doctrinam.[8] „... Declaro partem aliam: ‚Non est peccatum, quia non imputatur.‘ Non est cum reatu conjunctum, quia remissum, quia si sibi non consentiatur, manet ut superatum et peremptum ...“[9] „Sed circa haec, quae dicta sunt, dubitabit quisquam, quomodo concupiscentia seu peccatum hoc manet ut superatum et peremptum, si ita est peccatum, ut etiam in non-consentientibus non sit sine peccato ...“[10] „Dico, Augustinum sentire concupiscentiam non esse peccatum nisi remissum et peremptum hac ratione, quia non potest ipsa damnare juxta Pauli sententiam: Nihil damnationis est iis, qui in Christo Jesu non secundum carnem ambulant, sed secundum spiritum, sed quatenus motus in nobis malos et mala ac turpia desideria, quae sunt contra dominatum mentis et motus Spiritus Sancti, excitat, ea appellat peccatum, quibus forsan numquam ita resistitur, quin aliquo modo peccetur.“[11]

Ultima haec explicatio videtur satis plausibilis; sed attendendum est, ne forte non revelet totam mentem Seripandi; alibi enim videtur rationem peccati non ex isto diminuto consensu, sed ex ipsa

---

[5] Ib., 544, 11—15. Citationes ex Augustino non hoc loco singulae indicantur, sed in II. Parte, ubi examinandae sunt.

[6] Ib., 544, 30—39.

[7] Ib., 544, 40—545, 7. Cf. CT V, 194, 50—195, 3. Litterae *a)—d)* non inveniuntur in textu, sed perspicuitatis gratia additae sunt.

[8] CT XII, 545, 8—38. Cf. ib., 551, 10—23.

[9] Ib., 545, 39—41.

[10] Ib., 546, 9—11.

[11] Ib., 546, 25—30.

natura concupiscentiae repetere.[12] Praeterea consideranda sunt etiam alia dicta ab eo in discussionibus circa hanc materiam.

In schemate decreti lecto in congregatione generali die 8. Junii 1546 haec dicebantur: „. . . . sancta synodus fatetur ac declarat, in baptismate per Jesu Christi gratiam, quam confert et continet, non modo remitti reatum originalis peccati, sed totum id auferri, quod veram et propriam peccati rationem habet, auferri sc., non radi neque tantum non imputari. In illis enim nihil odit Deus, quia nihil est damnationis iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem . . .“[13] Contra istam particulam „in illis enim nihil odit Deus“ Seripandus statim opposuit: „. . . . ex concupiscentia oritur peccatum; peccatum odit Deus, ergo et concupiscentiam, a qua peccatum descendit; ergo aliquid remanet in baptizatis, quod odit Deus. Ergo illa verba non bene posita in decreto.“[14] Die 14. Junii etiam Cardinalis Polus difficultates movit contra eundem locum; cujus verba, saltem prout referuntur in Commentario Severoli,[15] potius significant: in justis sunt peccata venialia, quae displicent Deo; nec directe de concupiscentia loquitur, nisi forte eam intelligat sub nomine „infirmitatum“.[16] Nihilominus Seripandus eum statim ut sequacem, immo ut patronum principalem sententiae de natura peccaminosa concupiscentiae habere coepit composuitque tractatulum: „De concupiscentia. Pro dictis a Polo“,[17] in quo suam sententiam cum omni praecisione sic explicat: „Dico, quod secus est, loqui de malis poenae, quae nullam in se habent peccati rationem, et aliud de malis poenae, quae aliquam in se habent peccati rationem. In primo genere mortalitas est et ejusmodi alia, quae et nos in hac vita experimur et pro nobis Christus suscepit. In secundo est concupiscentia, quae ita est poena, ut aliquam etiam habeat peccati rationem. Haec, si in Christo fuisset, procul dubio Deo displicuisset, quemadmodum dicimus, quod displicet in nobis. At vero poenae illae nullo modo Deo displicere possunt, et tantum abest, ut Deo displiceant, ut potius placere eas Deo affirmandum sit. Nam illis non excitamur ad peccatum, sed potius retrahimur a peccato.

---

[12] Vide v. g., qua intentione adducantur textus Augustini: 545, 8—38; 546, 18—23. Cf. etiam 553, 13 sq.

[13] CT V, 197, 27—31.

[14] Ib., 203, 18—20; Pallavicino, l. 7, c. 9.

[15] CT I, 75, 45—76, 9.

[16] Ib., 76, 8 sq.; cf. V, 221, 45, et nota 2.

[17] CT XII, 549, 38—553, 16.

Concupiscentia vero radix est peccatorum omnium, quae, tametsi propter Christum remittatur, non potest tamen cum suis fructibus non displicere Deo.“[18] Et paulo infra: „Docet enim (Augustinus), in illis motibus et pravis affectibus inesse aliqua ratione peccatum, etiam cum pugnamus et vincimus . . .“[19] Et concludit: „Vellem igitur, his rationibus motus, ut ubi dicitur in decreto: in renatis nihil odit Deus, sic diceretur: in renatis nulla remanet iniquitas, quam odiat Deus, sed magna remanet infirmitas, quae tamquam Deo displicens per omnem vitam curanda est, donec Deus ipse sanet omnes languores nostros et redimat de corruptione vitam nostram.“[20]

Haec mutatio non est acceptata, cum ceteri Patres fere omnes in hac re a Seripando discordarent.[21] Licet non omnes unius opinionis fuerint de essentia peccati originalis,[22] nemo tamen eo usque progressus esse videtur, ut cum Seripando in concupiscentia etiam post baptismum admitteret veram aliquam peccati rationem.[23] Fuerunt qui eam cum S. Thoma considerarent ut partem materialem peccati originalis, immo interdum eam appellarent nomine peccati,[24] sed semper satis bene rationem talis appellationis explicaverunt: „appellatur . . . peccatum, quia peccatum fuerat . . .“,[25] „quia nos ad peccatum inducit“,[26] „jam non proprie peccatum.“[27] Merito proinde sententia patrum sic compendio effertur: „Concupiscentia autem quae remanet non est peccatum . . . Et licet aliquando ab Apostolo peccatum vocetur, id fit, quia ex peccato est et ad peccatum inclinat.“[28]

Qualis fuerit sententia Seripandi de essentia peccati originalis,

---

[18] Ib., 550, 12—21.

[19] Ib., 551, 18 sq.

[20] Ib., 552, 34—37.

[21] Formam decreti definitivam vide CT V, 239, 38—48; cf. ib., 209, 34—36, ubi unius Seripandi instantia refertur: „quidam . . . censuit . . .“ Solummodo nescio quis ex theologis minoribus postea adhuc ei accessit (ib., 218, 11 sq).

[22] Cf. Koch, TQS 95 (1913), 430—450; 532—564; 96 (1914), 101—123.

[23] Excipiendus esset Sanfelice, secundum Severoli relationem (CT I, 68, 7—13); quae in Actis de ejus voto habentur, nimis brevia sunt (CT V, 183, 23 sq.; 200, 16—18).

[24] CT V, 174, 16; 176, nota 2; 184, 25—35.

[25] Sic C. Mussus, ep. Bituntinus, ib., 194, 12; contra quem Seripandus: CT XII, 553, 5—16.

[26] CT V, 184, 31 (et sqq.,—35); cf. ib., 195, 13—16.

[27] Ib., 185, 25; 220, 43 sq.

[28] Ib., 195, 40—196, 1; cf. 197, 37—44 (schema decreti) et 190, 11—52; 192, 47—193, 42; 194, 15 sq. 35 sq. 39 sq.; 202, 48 sq.; 219, 21—26, etc.

ex tota inquisitione non liquet, cum fere semper mere reproducat formulas Augustini, quin eas ulterius explicet. S. Thomam ex una parte pro se citavit,[29] tamen noluit, ut in decreto diceretur, manere in baptizatis originalis peccati materiale, formali sublato.[30] Jamvero ad nostram quaestionem quod attinet, non oportet totam examinari doctrinam Seripandi de peccato originali, dummodo exacte determinetur ejus opinio de natura concupiscentiae post baptismum. Quid hac de re docet auctor noster? Ex una parte concedit, in baptismo „auferri t o t a m peccati rationem“,[31] ex altera parte affirmat, concupiscentiam perseverantem habere a l i q u a m peccati rationem. Quomodo ergo aufertur t o t a peccati ratio? Quia concupiscentia jam non imputatur ad damnationem, dum in non renatis imputetur ad damnationem, etiam sine consensu. Ecce quod habet versus finem hujus tractatuli de concupiscentia: „Cur relinquitur concupiscentia post baptismum? Relinquitur, ut homo semper cogitet, qualis ex se sit et qualis Dei gratia per Jesum Christum. Ex se ad omne malum pronus. Quae pronitas nisi remaneret in homine, homo [se] ex se et in se justum esse putaret. D e i a u t e m g r a t i a m a l u m i l l u d h a b e t a d d a m n a t i o n e m n o n i m p u t a t u m p r o p t e r Christum; e a d e m q u o q u e g r a t i a f i t, u t n o n r e g n e t p e r c o n s e n s u m neque membris uti possit tamquam armis ad iniquitatem. . .“[32] Et paulo infra: „Dicebatur etiam, quod concupiscentia in renatis dicitur peccatum, non quia sit, sed quia fuit peccatum, sicut Exod. 7, 12 dicitur: Virga Aaron devoravit etc.; non erat virga, sed fuerat. — Adverte, quod modus loquendi sanctarum litterarum ex annexis ante vel post considerandus, quia supra dicitur, virgam in colubrum versam fuisse . . . At non sic dici de c o n c u p i s c e n t i a potest, quae n u l l o p a c t o e s t m u t a t a i n r e n a t i s, s e d e u n d e m h a b e t i n e i s e t i n n o n r e n a t i s a c t u m, q u i t a n t u m e i s n o n i m p u t a t u r. Et ab Apostolo, quae ad peccatum pertinent, concupiscentiae tribuuntur, ut repugnare Spiritui etc.“[33]

Videtur proinde mens Seripandi sic reddi posse: I n n o n

---

[29] CT XII, 552, 38—40 (Summa theol. I. II. 82, 3).

[30] CT V, 203, 21.

[31] Ib., 203, 17.

[32] CT XII, 552, 48—52. Similiter: ib., 844, 13—18; 847, 44—50. Cf. L u t h e r, Rationis Latomianae confutatio. Opera omnia (Weimar) 8, 114, 9—39; Enarr. Psalmi 51, ib., 8, 351—354.

[33] CT XII, 553, 5—14.

renatis concupiscentia est peccatum (non semper distinguit clare concupiscentiam habitualem et actualem, sed in hoc ultimo inciso loquitur potius de actuali). In renatis non est peccatum, primo, quia non imputantur motus exorientes citra consensum, secundo, quia renati habent vires sufficientes ad denegandum consensum,[34] ita ut illud peccatum non regnet, ideoque non habeat totam et plenam peccati rationem. Est tamen peccatum etiam in ipsis, quia legi Dei repugnat, quae non solum consensum, sed etiam ipsos motus concupiscentiae prohibet. Sub gravi vel sub levi — ad hanc quaestionem frustra responsum quaereremus apud Seripandum, qui etiam alibi satis indistincte loquitur de peccatis mortalibus et venialibus. Ex tali conceptione necessario sequitur pessimistica aestimatio justitiae hominis: renati sunt justi et simul non justi, quia continuo fatali quadam, eaque physica, necessitate peccata committunt, quae non totam et plenam, sed aliquam saltem veram peccati rationem habent. Hic tamen non est unicus defectus justitiae inhaerentis; accedunt alii, de quibus statim sermo erit.

§ 3. De imperfectione justitiae inhaerentis

Praeter ipsos motus concupiscentiae ex duplici adhuc capite justitia humana imperfecta est, primo, quia quamvis justificati et baptizati possint esse sine crimine, sine peccatis gravibus, tamen nequeunt esse sine peccatis cotidianis, venialibus, quorum causa est concupiscentia; secundo, quia ipsa opera bona multipliciter vitiata et foedata sunt. In primo asserto non oportet diutius immorari, quia, sicuti jacet, non exprimit nisi doctrinam catholicam communem;[35] magis attendendum est ad alterum et ad consectaria, quae ex utroque deducit Seripandus.

Imperfectionem operum humanorum sic describit: „Opera humana etiam post justificationem immunda et impura sunt, quia semper aliquis defectus admiscetur ex concupiscentia oriundus, sed haec immunditia et impuritas ad culpam non imputatur, neque meritum eorum tollit, quia ex merito Christi Jesu, capitis omnium justorum, fit, ut in concupiscentia, in defectu bonorum operum, qui originem ducit ex concupiscentia, ad culpam

---

[34] Ib., 838, 50—52. Item CT V, 372, 3—10.

[35] Seripandi doctrinam vide in Trattato della Giustificazione, CT XII, 824—849, praesertim: 835, 21—839, 5; 841, 44—842, 3; praeterea: CT V, 372, 26—45; 668, 26 sq.; XII, 624, 6—625, 5.

[36] Scil.: haec immunditia.

non imputetur,[36] quia a Domino Deo amanter considerantur ut opera filiorum suorum, qui regenerati et in baptismo membra Christi effecti sunt . . .“[37] „. . . . Dum caritas, principium totius boni, impugnatur a concupiscentia, fit ut operibus bonis admisceatur amor proprius, nec fiant cum ea puritate, perfectione et pura intentione sicut oporteret, ideoque habent in se aliquid impurum et imperfectum, licet hoc non imputetur in peccatum, sicut nec concupiscentia, ex qua nascitur talis imperfectio, quae illis in peccatum imputatur, qui non per fidem uniuntur cum Christo benedicto.“[38] Proinde omnes justitiae nostrae sunt „velut pannus menstruatae“ (Is. 64, 6).[39]

Sed etiam praescindendo ab illis defectibus positivis, qui sunt ex admixtione affectuum inordinatorum, non attingimus ad id, quod Deus a nobis exigit et quod cum ejus gratia praestare possemus: „. . . . opera talia forte non fiunt cum ea puritate, quae Deo debetur et quam Dei gratia juvante praestare possemus, praesertim si considerentur omnes ejus circumstantiae, vel saltem una illa, de qua scriptum est: Videte, ne negligenter hoc impleatis (1. Esdr. 4, 22). . . . Tertio, quia non tot bona opera facimus fortasse, quot Dei gratia a nobis requirit. Quis enim est, qui non quandoque desit

---

[37] „Le opere humane ancor doppo la giustificatione son immonde et impure, perchè sempre ce è mischiato qualche difetto che nasce dalla concupiscentia, però questa immonditia et impurità non se imputa a colpa ne toglie il merito loro, perchè dal merito di Christo Jesu, capo de tutti giusti, nasce che nella concupiscentia, nel difetto delle opere buone, qual viene dalla concupiscentia, non se impute a colpa, perchè sono quardate dal Signor Dio amorevolmente come opere de' suoi figluoli regenerati et fatti nel battesimo membri et fratelli di Christo . . .“ CT XII, 847, 44—50.

[38] „. . . . essendo la charità, qual' è, principio di ogni bene, combattuta dalla concupiscentia, fa che le buone opere siano mischiate con amor proprio, et non siano fatte con quella purità, perfettione et netta intentione, che bisognerebbe, et però hanno dell' impuro et dell' imperfetto, ancorchè questo non sia imputato a peccato, come nè anco la concupiscentia, dalla qual nasce questa imperfettione che è imputata a peccato a coloro che non sono per fede uniti con Christo benedetto.“ CT XII, 844, 13—18. — Quod nec in textibus citatis nec alibi tam clare enuntiatur, scil. concupiscentiam etiam per seipsam, citra consensum, maculare justitiam nostram, apertius indicatur ab aliis fautoribus duplicis justitiae (cf. CT V, 562, 20—40; 607, 34—609, 27), et talis eorum doctrina supponitur quoque ab adversariis (CT V, 528, 50—529, 8; 593, 20—22; 630, 41—631, 6; 676, 14—18.

[39] CT XII, 848, 3 sq.; cf. ib., 632, 15—17; 635, 35—42; 666, 3; V, 374, 11 sq. Item: Laurentius Mazochius CT V, 584, 43—585, 25; Thomas Sanfelice, ib., 352, 39 sq.; 381, 13—17. Sic etiam Hadrianus Ultrajectensis, cujus discipulus fuit Pighius (cf. DTC X, 732 sq).

gratiae Dei? Contra quem si voluerit in judicio contendere, ipsa Dei gratia testimonium reddet ... ‚Quamdiu caritas augeri potest, profecto illud, quod minus est quam debet, ex vitio est'."[40]

Ut hanc imperfectionem nostrae justitiae efficacius inculcet, modo dramatico animam ponit coram tribunali divino: „Ad quam quaestionem (scil. utrum judicandi simus tantummodo ex operibus nostris) non esse tutum arbitrantur respondere speculative, sed practice, ut serio se quisque statuat ante justum judicem habentem clavem mortis et inferni (Apoc. 1, 18), de cujus ore gladius exit utraque parte acutus (ib., 1, 16), et videat, an judicari velit ex suis operibus praecise, quae in gratia Dei se egisse putat, consideratis cum omnibus suis circumstantiis. Certe Augustinus ait:[41] Vae hominum vitae quantumcumque laudabili, si remota misericordia discutiatur."[42]

Sed obvia est difficultas: „Operum nostrorum defectus seu imperfectiones venialia sunt peccata an mortalia? Si venialia, in purgatorio solvitur eorum poena, cum ea gratiam Dei non tollant; si mortalia, nisi per poenitentiam deleantur, ducunt ad inferos."[43] Quid respondet Seripandus? Primo respondet, saepe difficile indicari, quaenam sint gravia, quaenam levia peccata, nec humano, sed divino judicio ea pensanda esse;[44] deinde adjungit: „Qualiacumque sint illa peccata, de quibus a Deo judicandi sumus, multi ante Dei tribunal, nisi cum sua inhaerente justitia Christi justitia seu merito adjuventur, inter justos vel in purgatorio vel in caelo minime reponerentur et sic sine ea non justificarentur. Si venialia sint peccata, potest Deus vel papa applicare merita Christi, ut solvantur poenae purgatorii. Si mortalia, clarum est, quod egent misericordia Dei et Christi justitia, ad quam poenitentes recurrere debent."[45] Ex hoc responso certe res non multum clarescit; immo jam versatur extra statum quaestionis, quia agendum esset de homine, qui retinuit inhaerentem justitiam.[46] Cum Seripandus hoc respondit, jam in sat magnis angustiis erat; unde aliquomodo explicatur hoc dictum.[47] Hoc tamen videtur tenendum, secundum

---

[40] CT V, 669, 40—49; Augustinus, Ep. 167, c. 4, n. 15. ML 33, 739. CSEL 44, 602, 14—16.

[41] Conf. IX, c. 13, n. 34. ML 32, 778. CSEL 33, 223, 23 sq.

[42] CT V, 486, 40—45.

[43] CT XII, 670, 1—3.

[44] Ib., 4—20.

[45] Ib., 21—27.

[46] Cf. supra, p. 13.

[47] Videtur Seripandus hic quasi velle oblitterare differentiam peccatorum

ipsum imperfectionem nostrae justitiae esse talem, ut dubiam reddat assecutionem ipsius vitae aeternae. Hoc nos adducit ad examinandam auctoris doctrinam de merito.

§ 4. De merito

Quando Seripandus in Concilio prima vice ex professo loquitur de operibus in gratia factis,[48] eis vindicat omnino characterem meritorium. „Magna hoc loco consurgit dubitatio: an opera, per quae ducimur in vitam aeternam, merita dici possint? Dico quod sicut vita aeterna merces dicitur in sacris litteris et gratia, sic opera dici possunt merita, sed debent etiam dici dona vel . . . merita gratuita . . .“[49] Sed deinde incipit extenuare rationem meriti, citando S. Bernardum: „Neque enim sunt talia hominum merita, ut propterea vita aeterna debeatur ex jure, aut Deus injuriam aliquam faceret, nisi eam donaret. Nam ut taceam, quod merita omnia dona Dei sunt, ita ut homo magis propterea debitor Deo est(!), quam Deus homini: quid sunt merita omnia ad tantam gloriam?“[50] Quidquid sit de mente S. Bernardi, Seripandus vult, merita nostra non ideo tantum deficere a perfecta ratione meriti, quia sunt dona Dei, sed etiam, quia eorum valor intrinsecus est inferior vitae aeternae assequendae; statim enim subdit, citando Cajetanum, justitias nostras esse apud divinum tribunal velut pannum menstruatae.[51]

In hac tendentia sibi constat: semper affirmat, opera nostra habere aliquem valorem meritorium (atque etiam satisfactorium),[52] sed simul contendit, hunc valorem non adaequate correspondere vitae aeternae adipiscendae.[53] „Opera meritoria quantumvis optima, nisi a Deo misericorditer accep-

---

mortalium et venialium, quam antea tam diffuse exposuerat (CT XII, 839, 5—841, 21). Responsum simile, nec magis clarum, vide CT V, 668, 14—21, ubi concludit: „Sufficit igitur dicere, talia esse peccata, quae misericordia Dei et merito indigent passionis D. N. Jesu Christi. In hac igitur parte duplicem video justitiam, illam sc., de qua fiet judicium, justitiam videl. operum, et illam, cujus ratione judicium fiet cum misericordia, justitiam videl. Christi.“

[48] CT V, 373, 28—33. Cf. ib., 336, 18—26.

[49] CT V, 373, 38—41. Cf. XII, 627, 8—18; 634, 4—30; 844, 26—33.

[50] CT V, 374, 5—9. Cf. XII, 634, 21—30.

[51] CT V, 374, 11 sq.

[52] Ib., 487, 35—42; XII, 670, 51—671, 3.

[53] Locis citatis; CT V, 488, 4—6; 648, nota 8; 663, nota 2. Similiter alii fautores duplicis justitiae: L. Mazochius (CT V, 280, 41 sq.; cf. 280, 10 sq.; 278, 15); Jul. Contarenus (ib., 326, 29—327, 15); Th. Sanfelice (ib., 352, 39; 353, 7—10).

tentur, non sunt digna vita aeterna.“[54] Hanc doctrinam fulcire vult auctoritate magnorum scholasticorum: „B. Thomas, p. II., quaest. ult., a. 1 inquit, quod sicut inter Deum et hominem non est justitia simpliciter, ita non est meritum simpliciter. Scotus quoque 3° Sent. ait, opera nostra merita esse, quia acceptata a Deo, non esse contra.“[55] Et concludit: „Haec meritorum diminutio facit, ut justitia nostrorum operum alterius justitiae supplementum desideret.“[56]

Ecce nunc tandem aliquando pervenimus ad medullam totius doctrinae auctoris nostri, ad imputationem justitiae Christi. Huc collineant omnia hucusque allata de concupiscentia, de justitiae inhaerentis imperfectione, de meriti insufficientia. Unde speciali consideratione digna sunt quae sequuntur.

§ 5. De imputatione justitiae Christi

Jam in congregatione diei 13. Julii Seripandus praeter gratiam ad justificationem requisiverat „justitiam Dei“, de qua multa citat ex Paulo, Augustino, Bernardo et Cajetano, quin explicet, quomodo in justificationis negotio interveniat.[57] Pariter in decreti forma prima (die 11. Augusti): „Praeter etiam purissimam illam et integerrimam Christi servatoris et capitis nostri justitiam, quae in omne corpus suum, hoc est ecclesiam omnem diffunditur, omnibus suis membris per fidem et sacramenta communicatur et applicatur, ejusdem nostri redemptoris merito gratia seu caritas diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, per Spiritum Sanctum, qui datur eis, de qua sancti patres dixere, quod est justitia et gratia Dei per Jesum Christum . . .“[58]

Est igitur elementum aliquod nostrae justificationis ipsa „justitia Dei“, „justitia Christi“, „meritum Christi“: haec tria sunt aequivalentia.[59] Sed quomodo intervenit, in quonam genere causae? Ad hanc quaestionem nullibi in terminis respondet; nostrum est, ejus mentem investigare et effata dispersa in aliquam synthesim redigere.

---

[54] CT V, 671, 14 sq.; (II, 432, 15 sq.).

[55] CT XII, 670, 55—671, 3.

[56] Ib., 671, 2 sq.

[57] CT V, 335, 13—31.

[58] Ib., 825, 5—10. Clarius in forma secunda (die 19. Augusti), ubi cap. 8 inscribitur: De duplici justitia (ib., 829, 39—46). Cf. etiam in schemate proposito die 24. Julii cap. 6 (ib., 386, 25—33), et adnotationes Seripandi (ib., 410, nota 2, col. 1).

[59] CT I, 105, 24—26; V, 335, 13—20; 486, 39 sq.; 667, 24; XII, 619, 27—47.

In congregatione diei 8. Octobris sic enuntiat mentem suam: „... justitiam Christi hac ratione nostram esse, non quod nos informet aut nobis assistat; portenta loquitur, qui haec loquitur, non hominum verba, ac perinde est de his pugnare atque cum larvis luctari. Sed nostra dicitur, quod per sacramenta nobis communicatur, ut nobis prosit, nos adjuvet, nostram suppleat imperfectionem, quemadmodum quae pro defunctis agimus, nonne dici possunt defunctorum esse, quoniam caritatis nostrae vi illis prosunt, illos adjuvant, et quod illis deest, supplent? Quanto magis caritas Christi, capitis cujus nos membra sumus, nostros facit justitiae suae thesauros?“[60] Etiam alibi insistit in hoc ultimo elemento, sc. in communicatione idiomatum in corpore Christi mystico, vi cujus fit aliqua communicatio meritorum Christi, praeter gratiam habitualem.[61] Sed qualis est hac communicatio? Justitia Christi „non nos informat“, sc. sicut forma inhaerens; hoc est nimis evidens; nec nobis „assistit“; quid hoc sibi vult? Rückert intelligit: non assistit sicut gratia actualis, interne, psychologice influendo in actiones nostras.[62] Quod rectum videtur, praesertim si simul attenditur modus loquendi Laurentii Mazochii, qui unus contra omnes sustinuit opinionem Petri Lombardi de essentia gratiae:[63] „(ceteri) conveniunt in hoc, quod ... causa formalis (justificationis) est caritas et gratia inhaerens. Solus magister Laurentius Servorum dixit, gratiam esse assistentiam Spiritus Sancti“.[64]

Potest igitur sic reddi sensus illius incisi: justitia Christi non assistit nobis, id est, non producit in nobis actus nullo habitu mediante, sicut Lombardus asseruit de Spiritu Sancto quoad actum caritatis.[65] Ergo non sic res concipienda est; sed quomodo?

Deficientibus clarioribus explicationibus ipsius Seripandi, fas nobis sit apud illos auctores inquirere, quorum patrocinium invocat pro sua sententia, immo quorum sententiam se mere objective de-

---

[60] CT V, 487, 9—15.

[61] Ib., 672, 19—673, 9. Cf. textum Pighii, quem citat CT XII, 667, 20—43.

[62] Rechtfertigungslehre, 230.

[63] I. Sent., dist. 17; in edit. operum S. Bonaventurae Ad Claras Aquas I, 287—291.

[64] CT V, 280, 14—18. Cf. ib., 278, 15; 436, 24 (508, 23). Contra Mazochium: ib., 316, 32—35; 345, 7 sq.; Rückert, Rechtfertigungslehre, 107 sq.; 239 sq. Die 21. Octobris Mazochius loquitur (serio?) in communi scholasticorum opinione. CT V, 581, 28—583, 9.

[65] L. c. in nota 63, c. 6, p. 291.

SCOLASTICAT ST-JOSEPH
O.M.I.
OTTAWA EST

fendere semper praetendit, non fatendo hanc opinionem esse suam.[66] Ex his auctoribus Seripandus mense Octobri excerpta quaedam collegit sub titulo: „Pro confirmanda sententia de duplici justitia catholicorum quorumdam doctrina.“[67] Ubi primo loco occurrit textus aliquis ex Jacobo Perez Valentino,[68] cujus sensus sic reddi potest: in justificatione impii actibus poenitentiae junguntur merita Christi, et sic satisfacit divinae justitiae, sicut si anulo aureo jungitur lapis pretiosus, ita ut valor ejus nunc sufficiat ad mille captivorum redemptionem, dum anulus per se solum ne ad unum quidem redimendum sufficeret.[69] Utrum tota ista allegatio ex Jacobo Perez sit ad rem, merito dubitari potest; pariter dubium remanet, utrum auctor citatus hanc conjunctionem intelligat ad modum causalitatis efficientis, intrinsece elevantis, an aliter. Seripandus tamen intelligere videtur, aliquid extrinsecum accedens per modum formae vel quasi-formae, non inhaerentis, sed tamen, nescio quomodo, conjunctae.

In excerptis ex Alberto Pighio habetur: nos nostra justitia vacuos, involvi justitia Christi;[70] ejus justitia peccata nostra tegi et abscondi,[71] nos sub puritate ejus delitescere,[72] ejus justitia tegi et ornari, ita ut justi non solum appareamus, verum etiam simus.[73] Haec omnia vehementer redolent modum loquendi Protestantium et suadent aliquam causalitatem formalem vel quasi-formalem, per imputationem.

Omnem autem dubitationem tollit Card. Gaspar Contarenus, qui scribit in epistola de justificatione, immediate post colloquium Ratisbonense: „Dicamus ergo, quod f i e r i e t f a c e r e, quod ad propositum negotium pertinet, d u o b u s m o d i s a c c i p i t u r. Nam dicimus, albedinem facere parietem album, dicimus etiam linitionem pictoris facere parietem album. Eadem prope modum ratione dicimus sanitatem facere hominem sanum. Item dicimus medicationem facere hominem sanum. Differunt hi duo modi; nam

---

[66] CT I, 105, 40—42; V, 486, 33 sq.; 666, 11; 674, 41—43.

[67] CT XII, 664, 24—671, 33.

[68] „Jacobus P e r e z Hispanus, Valentinus, Ord. Erem. S. August., † a. 1490 sive 1491, praeclarus sui ordinis theologus, de cujus vita et operibus vide O s s i n g e r, Bibl. August., p. 683—685.“ E h s e s in CT V, 562, nota 13. Cf. CT XII, 664, nota 3 et 6.

[69] CT XII, 664, 24—665, 15. Eundem textum citat A u r e l i u s a R o c c a C o n t r a t a, CT V, 562, 41—563, 10.

[70] CT XII, 666, 40 sq.

[71] Ib., 667, 8.

[72] Ib., 667, 40 sq.

[73] CT XII, 667, 28—30.

albedo facit parietem album ut forma inhaerens parieti, et sanitas facit hominem sanum ut forma corpori inhaerens. Quare dicemus hanc, ut ita dicam, factionem esse formalem et dicemus formaliter facere. Linitio vero facit parietem album ut actio pictoris ideoque efficienter. Sic dicemus medicationem efficienter facere hominem sanum."[74] Deinde terminos applicat ad propositum: „Fide justificamur, non formaliter, quod sc. fides inhaerens nobis efficiat nos justos, sicuti albedo efficit parietem album aut sanitas hominem sanum. Nam hoc pacto caritas et gratia Dei nobis inhaerens et justitia Christi nobis donata et imputata efficit nos justos. Neque per fidem intelligimus habitum, ut superius diximus, sed actum. Sed vera est propositio, si capiatur efficienter, sicut linitio efficit parietem album et medicatio efficit sanum; sic vel non dissimili ratione fides efficit hominem justum et justificat . . ."[75]

Tenemus ergo, ex mente Card. Contareni justitiam Christi simul cum gratia inhaerente constituere causam formalem justificationis nostrae.[76] Textus citati licet in Seripandi excerptis non habeantur, tamen ei noti erant,[77] et cum Contareni sententiam se defendere profiteatur, etiam haec formula merito ei attribuitur.

Necessitas hujus imputationis justitiae Christi maxime apparet in judicio speciali, quod ab unoquoque statim post mortem subeundum est.[78] Ipsa autem applicatio justitiae Christi non fiet post mortem.[79] Sed quando? Estne Seripandus etiam quoad hoc unius opinionis cum Contareno? Hic omnino perspicue mentem suam aperit, describendo justificationem hoc modo: „Attingimus autem ad duplicem justitiam, alteram nobis inhaerentem, qua incipimus esse justi et efficimur consortes divinae nature et habemus caritatem diffusam in cordibus nostris, alteram

---

[74] Ib., 316, 37—45.

[75] Ib., 319, 9—15.

[76] Non recte interpretatur Jo. Consilii O. Min. Obs., caritatem aut gratiam nobis infusam esse secundum Contarenum meram dispositionem ad justificationem (CT V, 541, 47—53). Cf. textum Gropperi (Antididagma, f. 13 v°), cit. in DTC VIII, 2161, qui clare ponit duplicem causam formalem.

[77] Citat eandem epistolam: CT XII, 668, 14—28, eaque exstat inter Seripandi scripta, ib., 668, nota 2.

[78] Cf. CT V, 486, 40—45.

[79] Ib., 667, 33—35; 672, 8—18. Utrum haec fuerit ab initio sententia Seripandi, an nonnisi postea ipse, ab adversariis pressus (cf. 616, 26—30) priora dicta sua (486, 40—44) mitigaverit, difficile est determinare.

vero non inhaerentem, sed nobis donatam cum Christo, justitiam inquam Christi, et omne ejus meritum. Simul tempore utraque nobis donatur et utramque attingimus per fidem. Utra vero sit natura prior, potius pertinet ad disputationes scholasticas quam ad negotium fidei, de quo agimus; ideo in aliud tempus differemus, sicuti etiam differimus aliam controversiam, quae offerri nobis posset, utrum scilicet sit natura prior: an remissio peccatorum et reconciliatio cum Deo, an infusio gratiae."[80]

Quid revera de hac quaestione sensit Contarenus, utra justitia sit natura prior? Ex aliis ejus scriptis apparet, eum (post Gropperum, qui ibi dissentit a Pighio)[81] considerare ut praerequisitum necessarium ad imputationem justitiae Christi habitum justitiae immanentis,[82] immo etiam conatus cum viribus acceptis, bonas operationes,[83] ita ut non natura tantum, sed etiam tempore posterior esset justitia imputata.

Idem dici potest de Seripando, si considerantur textus sat frequentes, ubi docet, justitiam Christi supplere imperfectiones justitiae nostrae,[84] quae consideratio omnibus fautoribus duplicis justitiae communis est et familiaris. Dicitur etiam, justitiam Christi communicari secundum mensuram fidei et caritatis,[85] quod iterum implicat prioritatem justitiae inhaerentis, saltem in ordine naturae, immo etiam in ordine temporis, maxime si haec imputatio meritorum Christi fortasse non fit nisi in momento mortis.[86]

Sed est et alia series idearum, quae procedit ex principiis scotisticis, et est hujusmodi: remissio peccatorum non est tribuenda caritati,[87] sed infusioni caritatis praesupponitur remissio peccatorum per non-imputationem, quae non-imputatio conceditur respectu justitiae Christi.[88] Huc faciunt propositiones, de quibus Seri-

---

[80] CT XII, 318, 34—42.

[81] Rückert, Contarini, 96—103. Cf. textum Gropperi citatum CT V, 563, 31—36 (XII, 668, 5—9); Hünermann, TQS 102 (1921), 1—22.

[82] Hünermann, l. c., 16 sq.; Rückert, op. cit., 90—92.

[83] Rückert, op. cit., 91; 100—103.

[84] CT II, 431, 25 sq.; V, 486, 35—40. 46; 487, 36 sq.; 488, 3—10; 523, 15; XII, 664, 27—665, 9; 707, 49—708, 3.

[85] CT II, 431, 26 sq. (V, 523, 16).

[86] CT V, 667, 33—35; cf. Vega, De justificatione, XV, c. 11; c. 15 (p. 615 sq.; 622—624).

[87] CT XII, 630, 30—631, 4.

[88] Cf. CT V, 335, 13—31; Rückert, Rechtfertigungslehre, 220 sq., qui justificationem in prima significatione, de qua Seripandus in hac congregatione, intelligit de sola remissione peccatorum („justificatio" distincta a „sancti-

pando convenit cum Antonio de la Cruz, episc. Canariensi: „Gratia habitualis non est, quae nos Deo gratos faciat primum, sed prius acceptat nos Deus et gratos habet sua benigna voluntate, deinde dat gratiam, sicut prius pater amplexus est filium prodigum, deinde jussit eum indui stolam primam. Non est igitur gratia, qua primum justi sumus . . .“[89] Notatu etiam dignum est judicium Cardinalis Poli de decreto secundo proposito de justificatione, scriptum mense Octobri, ubi legitur: „. . . caritas non potest esse cum impietate peccati; necesse est ergo, ut prius saltem nostra remittantur nobis peccata quam habeamus caritatem, et ut prima ac potissima pars justificationis sit ipsa remissio peccatorum et solutio debitorum eaque necessaria atque essentialis, et haec non fit propter caritatem, quam nondum habemus tunc, sed potius contra, quia remittuntur nobis peccata propter aliam justitiam, nempe Christi nobis imputatam, pro nobis satisfacientem, et per illam placata ira Dei datur nobis caritas.“[90] Seripandus in suis adnotationibus animadvertit, non remissionem peccatorum, sed caritatem esse potissimam partem justificationis; cetera tacendo approbare videtur.[91]

Quomodo haec duplex idearum series inter se concilianda? Difficile creditu esset, Seripandum non advertisse hanc discrepantiam nec sibi rationem de ea reddidisse, maxime cum in serie illarum propositionum, de quibus ipsi convenit cum episcopo Canariensi, haec inveniantur: „Opera meritoria, quantumvis optima, nisi a Deo misericorditer acceptentur, non sunt digna vita aeterna. Haec acceptatio est alter effectus gratiae Dei et meritorum passionis Christi. Duplex igitur est effectus justitiae Christi: gratia, qua meritorie operamur, et acceptatio operum, quae est etiam gratuita. Duplex igitur justitia nobis est necessaria, gratia sc. cum suis operibus, et justitia Christi, propter quas (al. quam) Deus misericorditer opera acceptat.“[92]

---

ficatione“, CT V, 336, 4—12; ad hoc cf. Card. Polum, CT XII, 674, 26—33). Cf. etiam CT XII, 615, 47—616, 4; 621, 11—28; V, 825, 5—12; 829, 39—48. In ista separatione „justificationis“ (= reputari justum) et „sanctificationis“ (= fieri justum) haec doctrina fere coincidit cum doctrina Melanchthonis (cf. Rückert, op. cit., 105; 218; 223; 258). Cf. etiam Luther, Sermo de duplici justitia, Opera omnia (Weimar) 2, 146, 8—147, 23.

[89] CT V, 671, 8—11 (II, 432, 9—12).

[90] CT XII, 674, 34—40.

[91] Ib., 675, 5—7. 10. 14 sq. 22—25; unde confirmatur judicium Rückert (supra, nota 88).

[92] CT V, 671, 14—19 (II, 432, 15—21).

In hoc textu acceptatio non solum post gratiam inhaerentem, enumeratur, sed etiam natura posterior ponitur.[93]

Fortasse omnia ista elementa dispersa in synthesin redigi possunt, si consideratur totus processus justificationis et glorificationis hoc modo: Est aliquis homo peccator, cujus Deus miseretur, excitando in eo actus, per quos disponitur ad justificationem. Tunc Deus ei imputat justitiam Christi, remittit peccata et deinde infundit caritatem, ita ut nunc jam habeat justitiam inhaerentem et meritorie operetur. Sed simul per totum tempus vitae suae super eum manet imputatio justitiae Christi, in qua semper debet confidere, et magis quam in sua justitia inhaerente;[94] tunc in articulo mortis applicabitur ad supplendos defectus suae justitiae, et sic salvabitur, „adhaerente sibi misericordia Salvatoris“.[95] Sic justitia hominis praeter justitiam inhaerentem consistit in imputata, cujus duplex est effectus: unus a c c e p t a t i o h o m i n i s, qua Deus acceptat peccatorem et facit justum,[96] alter a c c e p t a t i o o p e r u m, qua Deus opera bona, licet concupiscentiis et peccatis permixta, inordinatis affectibus foedata, regulam justitiae non attingentia ac proinde ad meritum vitae aeternae insufficientia, tamen intuitu Christi acceptat et vita aeterna praemiat; et hic effectus justitiae imputatae est natura posterior, ille natura prior quam justitia inhaerens; ille dat „jus ad misericordiam“ in justificatione, hic in judicio.[97]

Haec est, in compendium redacta, doctrina de duplici justitia in sua forma primitiva et genuina.[98]

---

[93] Cf. CT V, 667, 22—668, 21.

[94] CT V, 486, 35—487, 8; 667, 33—35; 669, 7—21; 670, 5—40. Cf. G. C o n t a r e n u m (CT XII, 319, 22—320, 7), qui tamen non semper sibi constat (cf. R ü c k e r t, Contarini, 92—95).

[95] Cf. Aug., De corr. et gr., c. 13, n. 40. ML 44, 941 (cit. CT V, 667, 40—47).

[96] Cf. CT XII, 668, nota 1, doctrinam Jo. H a n e r i, ad quam videtur reduci posse doctrina Seripandi, CT V, 333—336.

[97] Cf. CT V, 667, 22—42.

[98] Compendio doctrinam de duplici justitia refert H ü n e r m a n n, Wesen und Notwendigkeit der aktuellen Gnade, 57—63, ubi tamen duo sunt animadvertenda: primo, justitia Dei non potest intelligi de attributo Dei, de justitia, cui per Christum satisfit (p. 58 sq.; 60); in contrarium est, quod „justitia Dei“ identificari solet cum „justitia Christi“ et „merito Christo“ (vide supra, p. 22, nota 59, maxime textum Cajetani citatum, CT XII, 619, 27—47); secundo, non probatur esse opinionem Seripandi, a justificatis neque omne peccatum m o r t a l e vitari posse (p. 60), licet interdum discerni vix possit, utrum de mortali an de veniali peccato loquatur.

Caput III.

Ejusdem doctrinae forma posterior et mitigata.

Asserit quidem Seripandus, et satis fortiter, in congregatione die 27. Novembris habita, se non mutasse, sed nonnisi clarius et apertius explicasse sententiam suam.[1] Nihilominus merito scripsit Pallavicinus: „Qui (Seripandus) nimis aegre ferebat, suum hujusmodi inventum deserere, quasi filium quem undique oppugnatum videret. Liquet tamen ex multis ejus defensionibus, scripto deinceps editis, ipsum per novas interpretationes exceptionesque, more militis veterani ab adversariis pressi, retrocedere quidem, sed fronte semper adversa.“[2] Si enim attente inspicitur prolixa illa ultima defensio, habita die 26. Novembris et sequenti, notabiles mutationes et restrictiones apparent.

Prima restrictio respicit subjecta imputationis justitiae Christi. Secundum statum quaestionis die 12. Octobris determinatum agebatur de homine, qui retinuit inhaerentem justitiam,[3] et de hoc Seripandus affirmavit, eum non satisfecisse divinae justitiae ad acquisitionem vitae aeternae; nunc vero, in dissolvendis dubiis, sic loquitur: „Loquerisne tu de omnibus hominibus, cum duplicis istius justitiae necessitatem defendis? — Non loquor de pueris post sacramentum baptismi decedentibus, de quorum justitia et meritis constat quid dicendum sit. Non loquor de adultis, quos Deus perfectissime justos facere posset absque ullo omnino peccato, ut Augutinus concedit, tametsi dicat, quod nemo eam justitiam perfectionem consecutus vel consecuturus videatur praeter unum mediatorem.[4] Non de illis, qui magnam accepere misericordiam, ut post justificationem non caderent nisi in venialia. Sed de magna christianorum hominum portione, qui in gratia bene quandoque operantur, sed saepe in graviora cadunt peccata. Et de iis erat quaestio proponenda theologis, ut discuteretur de facto, non de possibili, prac-

---

[1] CT V, 671, 23—29.

[2] „. . . il qual non sapeva abbandonare cotal sua invenzione, quasi figliulo ch'ei vedesse d'ogn'intorno assalito. Scorgesi tuttavia in molte difese le quali egli successivamente ne scrisse: andarsi lui con nuove interpretazioni e limitazioni, a guisa di veterano soldato premuto dagli avversarii, sempre mai ritirando insieme, e mostrando faccia.“ L. 8, c. 11. n. 12.

[3] CT II, 431, 23—36 (V, 523, 11—16); cf.. supra p. 13.

[4] De spir. et litt., c. 1, n. 1. ML 44, 201. CSEL 60, 155, 1—21.

tice, non theoretice et non dimitteretur sensus propter intellectum in negotio et scientia salutis . . .“[5]

Concedit ergo vel saltem transmittit Seripandus, illum, qui post primam justificationem nullum commisit peccatum mortale, non indigere imputatione justitiae Christi; quae suppositio, Deo gratias, non est mere metaphysica, sed verificatur in multis sanctis aliisque bonis christianis.

Altera restrictio respicit c o n d i c i o n e s, sub quibus necessaria est haec imputatio, scil. tunc, quando quis haeret dubius et anxius de sua justitia inhaerente.[6] Immo, et haec est tertia restrictio, jam non affirmatur vera n e c e s s i t a s, sed mere petitur, ut liceat tunc recurrere ad imputationem justitiae Christi: „Si l i c e t mihi de perfectione operum meorum dubitare, cur non l i c e b i t ad Dei misericordiam recurrere, ut me adjuvet propter purissimam et perfectissimam justitiam Jesu Christi . . . et sic sperare in duplici justitia?“[7] Si quaestio ita formulatur, jam sumus extra campum doctrinalem et intramus in regionem, ubi regnat vagus sensus religiosus; jam non distinguuntur duae quaestiones: sufficitne justitia inhaerens, si adest? et: quid faciendum est homini, qui dubitat, utrum habeat justitiam inhaerentem necne?

His restrictionibus forma posterior et mitigata differt a primitiva et genuina.[8] Si jam in prima forma multae reprehenduntur incohaerentiae et quidem tum a Catholicis[9] tum a Protestantibus,[10]

---

[5] CT V, 668, 22—31. Cf. ib., 673, 10—33; XII, 669, 45—51; 670, 31—33.

[6] CT V, 669, 23—670, 40; 672, 1—6; 673, 10—33.

[7] Ib., 670, 14—17.

[8] Posset et quarta differentia assignari, quod scilicet negat, justitiam Christi esse causam f o r m a l e m justificationis nostrae; sed in hac re mutatio non adeo perspicue apparet. Certe jam ab initio perspexerat, imputationem justitiae Christi fieri non posse, quin aliquem in nobis effectum producat a justitia Christi distinctum (cf. CT II, 431, 26 sq.). Tamen adversarii intellexerunt, justitiam Christi assignari ut causam formalem (CT V, 598, 51 sq.; 617, 27—31. Cf. etiam ib., 541, 47—53; 550, 36—46). Cf. etiam V e g a, De justificatione, VII, c. 21—23 (p. 140—145). Ideo Seripandus die 27. Novembris negavit, nos esse justos formaliter justitia Christi (CT V, 673, 34—38), insistendo in effectu justitiae Christi (ib., 667, 40—42; 668, 19—21; cf. CT XII, 668, 29—669, 15). Sed forte haec explicatio non inducit mutationem, quia mere negat nos justos fieri justitia Christi f o r m a l i t e r e t i n t r i n s e c e; cum hoc asserto stare potest, eam esse causam formalem e x t r i n s e c a m (conjunctam, non inhaerentem; vide supra, p. 24, et CT V, 617, 28—31).

[9] Cf. vota theologorum minorum (CT V, 523—633, praesertim: 524, 23—525, 20; 596, 46—597, 17; 614, 1—629, 18; praeterea: CT XII, 686, 7—13) et discussiones Patrum (V, 642—671; praeterea: XII, 322—325; 703—718). De illa particula: „secundum mensuram fidei et caritatis“ vide CT V, 525,

— sicut accidit omnibus, qui volunt conciliare inconciliabilia —, a fortiori hoc valet de ista forma mitigata. Etenim, aut Seripandus revera sententiam suam non mutavit, sed mere omisit quaedam puncta urgere, ut saltem aliquid salvaret — et tunc nihil amplius dicendum est; aut eam revera ita extenuavit, sicut supra habetur; tunc autem quaerendum est: quid sibi vult ille recursus ad misericordiam divinam? Homo dubitans de sua justitia implorare debet misericordiam divinam: *a)* aut, ut per imputationem justitiae Christi salvetur etiam sine justitia inhaerente — et haec est haeresis lutherana, quam Seripandus omnino respuit; *b)* aut, ut per misericordiam Dei perveniat ad contritionem et sic ad gratiam inhaerentem — et sic nihil additur communi doctrinae catholicae; *c)* aut denique, ut obtineat utramque justitiam, et sic idem quod prius; nam intelligi non potest, cur in uno casu justitia inhaerens sufficeret, in alio non sufficeret. Introductio elementi psychologici, dubitationis scil. de statu gratiae, potest fortasse movere affectum, sed obscurat verum problema: utrum justitia inhaerens in se sufficiat ad salutem necne.

Brevis haec inquisitio ostendit, hanc formam mitigatam systematis in inquisitione sequenti tuto negligi posse.

Caput IV.

De fontibus hujus doctrinae

Ex quanam schola theologica prodiit doctrina Seripandi? Difficile est huic quaestioni respondere, quia ipse vix alicui determinatae scholae adscribi potest; tamen praevalens apparet influxus Scotismi, in identificatione gratiae sanctificantis cum caritate,[1]

15—18; 528, 24—40; 615, 9—14; 616, 31—42; 617, 34—36. In explicando isto inciso, in quo adversarii tot repugnantias invenerunt, Seripandus valde brevis est (CT V, 673, 37 sq.). Responsum ejus huc redit: fides et caritas non merentur hanc novam imputationem justitiae Christi, non constituunt exigentiam, sed dispositionem, cui datur a divina misericordia (modo analogo ac in justificatione).

[10] Rückert, Rechtfertigungslehre, 245; 252 sq.; id., Contarini, 105 sq.; E. Gothein, Ignatius von Loyola und die Gegenreformation, Halle 1895, p. 487, „... eine Gerechtigkeit, auf die sich der Mensch am Tage des Gerichtes nicht verlassen kann, ist so gut wie gar keine Gerechtigkeit."

[1] Rückert, Rechtf., 126; 169; 220; CT V, 520, 27—29; 829, 44—46; 830, 7; 832, 3. Cf. Minges O. F. M., Compendium theol. dogm. specialis, ed. 2, (Ratisbonae 1921/22), II, n. 128—131.

in prioritate remissionis peccatorum prae infusione caritatis,[2] in doctrina de „acceptatione“ meriti.[3] Tamen discrepat a Scotistis, quia pro his illa acceptatio, qualiscumque sit, ex ordinatione seu promissione divina semel pro semper connexa est cum opere meritorio, dum secundum Seripandum a misericordia Dei impetranda videatur.[4] Rejicit etiam meritum de congruo ante justificationem, in cujus defensione Scotistae maxime insistebant.[5]

Ex altera parte Seripandus frequenter citat Cajetanum, praesertim ejus commentaria in epistolas Paulinas,[6] et frequentiores sunt apud eum allegationes ex S. Thoma quam ex Scoto,[7] neutrum tamen ut formalem patronum suae sententiae exhibet, sed nonnisi principia ad ratiocinandum ex eis assumit. Tamquam principales patronos suae theoriae, praeter notissimos fautores duplicis justitiae, Pighium, Gropperum, Julium Pflug, Gasparem Contarenum,[8] adduxit duos theologos augustinianos, Jacobum Perez Valentinum[9] et Aegidium Viterbiensem.[10] De horum omnium mente inquirere, limites hujus inquisitionis exorbitaret;[11] certum tamen est, auctoritates theologorum pro hac theoria nec numero nec pondere excellere, si unum excipimus Cajetanum, qui tamen plus quam unam singularem sententiam habuit,[12] et de cujus opinione in hac materia non plene constat.

---

[2] Cf. P. Raymond in DTC IV, 1903 sq. Secundum Minges, op. cit. II, n. 112—114, ipse Scotus contrarium docet.

[3] Cf. Rivière in DTC X, 701—706; P. Raymond in DTC IV, 1904; Minges, op. cit. II, n. 169—172.

[4] CT V, 523, 14 sq.; 668, 17 sq.; 670, 14—17; 673, 38.

[5] Rückert, Rechtf., 170 sq.; 172; 177—179; 185; CT V, 489, 24 sq.; 512, 5—8; 636, 20—24; 829, 30—34, attamen vide etiam 737, 28 sq., quod est in contrarium; sed forte ibi habetur error secretarii.

[6] CT V, 335, 13—41; 375, 28; 672, 21—673, 9; XII, 619, 27—46, etc.

[7] Vide CT V, 375, 26 sq.; 669, 25 sq.; 670, 36 sq; XII, 670, 54—671, 2. Cf. Rückert, Rechtf., 169.

[8] CT I, 105, 17—20; II, 431, 14—17; V, 487, 29—34; 496, nota 1; 674, 36—40; XII, 665, 16; 668, 28; Pallavicino, l. 8, c. 11, n. 5.

[9] Vide supra, p. 24, nota 68.

[10] Cf. CT I, 105, 17—26, et nota 3; II, LXII, 5—42; 400, nota 2, ubi amplior bibliographia.

[11] Utrum admittenda sit aliqua constans traditio scholae augustinianae, ex qua Seripandus hauserit, vide apud Rivière in DTC VIII, 2129—2131, qui magis negative respondet et ampliorem indicat bibliographiam. Koch. TQS 95 (1913), 551, nota 1, et J. Paquier, Luther et l'augustinisme, in Revue de Philosophie 23 (1923), 197—208, plura concedunt. Cf. Jedin, Ein neues Problem der Lutherforschung, in Die Kultur (Wissenschaftl. Beilage der Schlesischen Volkszeitung), Nr. 2, Februar 1927, 25—36.

[12] Cf. v. g. in actis ipsius Concilii: de remedio pro parvulis sine baptismo

Graviora videntur argumenta ex Patribus, praesertim ex S. Augustino, in cujus scriptis Seripandus sine dubio magis versatus erat quam in theologis scholasticis,[13] et ex S. Bernardo.[14] Cum autem ex una parte Bernardus certe subierit influxum Augustini, ex altera parte apud Augustinum frequenter occurrant illi textus Scripturae, ad quos provocare solent fautores duplicis justitiae,[15] ad crisim hujus theoriae nihil utilius erit, quam inquirere in mentem Doctoris Gratiae.

---

decedentibus: CT V, 867, 31, nota 2; 933, 38—40; 960, 17—20 etc.; de interpretatione c. 6. S. Joannis: ib., 953, 19.

[13] Ehses in RQS 20 (1906), Geschichte, 177.

[14] CT V, 374, 3—18; 486, 46—487, 8; 673, 6—9; XII, 620, 11—17, etc.

[15] Sunt fere isti: Ps. 30, 2; 70, 2. 16; 129, 3; 142, 12; Is. 64, 6; Job. 9, 20; Prov. 20, 8. 9 (sec. LXX); Rom. 10, 3; 1. Cor. 1, 30; 2. Cor. 5, 21, quibus etiam Protestantes uti solebant.

SECUNDA PARS

Supplementum Primae Partis

Cum prima folia hujus libelli typis excusa jam essent, Dr. E. Stakemeier mihi transmisit inquisitionem suam „Glaube und Heiligkeit nach der Lehre des Trienter Konzils“, ubi p. 9—12 et 14—20 doctrinam Seripandi de fide fusius tractat, quam supra (p. 10 sq.) a me factum est; ideo hoc opusculum utiliter consuli potest, item duo articuli ejusdem auctoris in RQS 42 (1934) Geschichte 147—172 (praesertim 154—158. 161 sq. 167) et 43 (1935) Geschichte, 157—177 (praesertim 170). De his articulis cf. B. Bartmann in ThGl 27 (1935) 636—638.

SECUNDA PARS

Utrum apud S. Augustinum inveniatur doctrina de duplici justitia ab Hieronymo Seripando propugnata

SECTIO I:

Utrum S. Augustinus docuerit aliquam justitiam inhaerentem

Initio investigationis nostrae non abs re erit ostendere, Augustinum non favere doctrinae lutheranae de justitia mere imputata, sed docere veram justitiam internam. Si enim admittit justitiam internam, qua homo vere justus est, non multum probabile est, eum adhuc exigere aliam justitiam eamque imputatam.

Caput I.

De historia interpretationis doctrinae Augustini

Veteres Protestantes, qui (praesertim ipse Lutherus) initio multum gloriabantur de auctoritate Augustini,[1] postea jam magnas difficultates experti plus minusve aperte fassi sunt, Augustinum ipsis adversari, vel saltem non in omnibus patronum suae sententiae invocari posse.[2] Immo Melanchthon in epistola familiari ad Jo. Brentium, cui etiam Lutherus subscripsit, haec habet: „Tu adhuc haeres in Augustini imaginatione, qui eo pervenit, ut neget rationis justitiam coram Deo reputari pro justitia; et recte sentit. Deinde imaginatur, nos justos reputari propter hanc impletionem legis, quam efficit in nobis Spiritus Sanctus. Sic tu imaginaris, fide justificari homines, quia fide accipimus Spiritum Sanctum, ut postea justi esse possimus impletione legis, quam efficit Spiritus Sanctus. Haec imaginatio collocat justitiam in nostra impletione, in nostra munditie seu perfectione, etsi fidem sequi debeat haec renovatio. Sed tu rejice oculos ab ista renovatione et a lege in totum ad promissionem et ad Christum, et sentias, quod propter Christum

[1] Grisar I, 248; 319; 327; II, 277; 760sq.; Denifle, p. VIII; Hamel I, 9–11; 192.

[2] Grisar II, 743.

justi, hoc est, accepti coram Deo simus et pacem conscientiae inveniamus, et non propter illam renovationem. Nam haec ipsa novitas non sufficit ... Augustinus non satisfacit Pauli sententiae, etsi propius accedit quam Scholastici. Et ego cito Augustinum tamquam prorsus *δμόψηφον* propter publicam de eo persuasionem, cum tamen non satis explicet fidei justitiam. Crede mihi, mi Brenti, magna et obscura controversia est de justitia fidei, quam tamen ita recte intelliges, si in totum removeris oculos a lege et imaginatione Augustini de impletione legis et defixeris animum prorsus in gratuita promissione ... Ego conatus sum eam (sc. sententiam de justitia fidei) in Apologia explicare, sed ibi propter adversariorum calumnias non sic loqui licet, ut nunc tecum loquor, etsi reipsa idem dico ... Si cogitabis animum revocandum esse ab Augustini imaginatione, facile intelliges causam ... Populus omnino audire debet praedicationem legis et poenitentiae; sed interim haec vera evangelii sententia non est praetereunda.“[3] Quibus non obstantibus, eodem fere tempore in Confessione Augustana Augustinum ut patronum „justitiae fidei“ adducit.[4] Contra talem duplicitatem plures Protestantes, praesertim in Pomerania, protestati sunt,[5] et hi quidem nonnisi post aliqua decennia; sed refertur etiam de publica contradictione Luthero adhuc superstite.[6]

Saeculorum decursu haec evolutio eo usque progressa est, ut hodie jam vix quisquam asserat, Augustinum simpliciter patrocinari doctrinae Lutheri, multi econtra eum fateantur auctorem dogmatis catholici de gratia.[7] Sed est quaedam differentia inter recentiores Protestantes, quia alii quoad Augustinum quidem rem concedunt, sed eum a genuino sensu s. Pauli deviasse contendunt,[8] dum alii, et quidem sat multi, etiam interpretationem Epistolae ad Romanos a Luthero propugnatam omnino dereliquerint.[9] Notandum quoque est, quando adducitur Augustinus ut favens Luthero, provocari potius ad ejus pietatem et experientiam religiosam, quam ad ejus

---

[3] Med. Majo 1531. (Corpus Reformatorum II, 501 sq.); Grisar I, 248; II, 277 sq.; 761 sq.

[4] Grisar, l. c.; Müller, Die symbol. Bücher, 45; 104; 151.

[5] Grisar II, 763.

[6] Ib.

[7] Harnack III, 85; Jauncey 288.

[8] Ihmels in Herzog-Hauck, Realencyl f. prot. Theologie, 3. Aufl., art. Rechtfertigung (XVI, 496—499). Moderatius: Sanday-Headlam, A critical and exegetical Commentary on the Epistle to the Romans. 5th edition (Edinburgh 1902), 150.

[9] Multa testimonia vide apud Lange, De Gratia, Friburgi 1929, n. 315 sq.

doctrinam, etenim in illa potius quam in hac asserunt agnosci posse affinitatem cum mente Lutheri, cum Augustinus, impeditus vi traditionis dominantis et „catholicismi vulgaris“, experientiam suam formulis dogmaticis explicare non valeret nisi imperfecte.[10] Quidquid sit de hac re, certe concessum manet, in ejus doctrina reperiri dogma catholicum de gratia et justitia interna. Hanc esse opinionem historicorum protestantium nostri temporis, exemplis quibusdam illustrare juvabit.

Ihmels et Sanday-Headlam doctrinae augustinianae objiciunt, eam negligere opus Christi redemptorium prae gratia infusa, cui in negotio humanae salutis primas partes daret.[11] Harnack eodem modo loquitur[12] et praeterea talem conceptionem gratiae arguit anthropomorphismi et crassi cujusdam realismi, eamque velut monstrosum quid considerat, ac si gratia daretur per partes quantitativas, vel caritas infunderetur ad modum alicujus potionis.[13]

---

[10] Ihmels, l. c., 497 sq.; Harnack III, 83 sq.; 861; Seeberg II, 494 sq.

[11] Ihmels, l. c., 497: „Die Wege (sc. via Augustini, et via Pauli et Lutheri) gehen erst dann auseinander, wenn nun das Wesen und Wirken dieser Gnade näher bestimmt werden soll . . .“, ib., 498: „Der Nachdruck fällt durchaus auf diejenige gratia per Christum, welche gegenwärtig durch Wort und Sakrament das Neue in uns schafft.“ Deinde describit, quomodo Augustinus concipiat hanc veram intrinsecam renovationem: inspiratur homini nova voluntas, caritas scilicet; gratia est augmenti capax, producit opera meritoria. Sanday-Headlam, l. c., (Augustini interpretatio) „had the tendency indeed to transfer the central point in connexion with human salvation from the atoning death of Christ accepted by Faith to the gift of the Divine Grace received from God . . . there can be no doubt that it leads directly to the doctrine of infused grace . . . practically his whole theory is that of an infusion of the grace of faith by which men are made just.“

[12] Harnack III, 84: „Mit der Hinterlassenschaft, dem Erwerb, dem Verdienst Christi hat es der Gläubige zu tun, aber nicht mit Christus selbst.“

[13] Ib., 83: „Das alte Schema, daß Gott . . . wie ein Arzt durch Medicamente dem Menschen zu Hilfe kommt, hat er wesentlich bestehen gelassen, resp. er hat es aus der Unsicherheit zur vollen Gewißheit erhoben: Gott wirkt immerfort durch geheimnisvolle allmächtige Gnadenmitteilung, d. h. durch Gnadenkräfte. So behält die Gnade (gratia per Christum) auch bei ihm einen dinglichen Charakter . . .“ 84: „Ja man kann sagen, eben insofern erst er auf die gratia per Christum einen starken Nachdruck gelegt, diese Gnade aber als Gnadenstücke (!) gefaßt hat, ist erst durch ihn mit der Einsicht von der Bedeutung der Gnade als Anfang, Mitte und Ende auch der Irrwahn ihres dinglichen Charakters eingebürgert worden . . . Die Liebe Gottes wird in Stükken (!) der Seele eingeflößt . . .“ 88: „Nun ist es ihm aber auch trotz der entgegenstehenden empirischen Bedenken nicht zweifelhaft, daß Liebe eingegossen werden kann wie eine Medicin (!).“

Magis pacate et objective Seeberg explicat Augustini doctrinam, cujus idea centralis secundum ipsum est: „regeneratio voluntatis", in quantum scilicet evangelium dat, quod lex jubet: caritatem, per quam lex impletur cum delectatione.[14] Contendit quidem, Augustini interpretationem „justitiae ex fide" apud Paulum exegetice falsam esse, sed concedit etiam exegesim protestanticam inadaequatam esse et hoc vitio laborare, quod renovationem internam per effectus Spiritus Sancti fere totaliter negligit, unice insistendo in remissione peccatorum.[15] Tandem E. Jauncey, licet plus minusve sequatur Sanday-Headlam, sine ulla tamen reprehensione refert, ex En 2 in Ps. 31, n. 6, et De spiritu et littera, nn. 18. 45. 56, interpretationem „justitiae Dei" tamquam gratiae infusae, in qua Augustinus sequitur sententiam inter priores Patres communiorem, super quam tota quoque catholica doctrina de gratia fundatur.[16]

Recentissime etiam A. Hamel, investigando influxum Augustini in initia doctrinae Lutheri, quamvis inveniat multa elementa communia, tamen agnoscit justificationem apud Augustinum adeo realem esse, ut vocari possit „habitualis", „physica", immo „sub-

---

[14] Seeberg II, 384: „Die Gnade ... erweckt in uns die Liebe zu Gott, und nun tut man das Gute mit Lust." Ib., 471 sq. „Die Eingießung der Liebe ist die Einflössung eines neuen guten Willens durch den Heiligen Geist ... Die Ausrüstung mit der Kraft, das Gute zu wollen und zu tun, diese Umwandlung des Menschen ist im Zusammenhang der augustinischen Gedanken der eigentliche Effekt der Gnade. Er nennt diesen Vorgang renovatio, vivificatio, regeneratio und besonders justificatio. Die Rechtfertigung besteht aber darin, daß durch die Gnade der Mensch wirklich gerecht wird, und daher gerechte Werke zu leisten vermag." 473: „Der Gegensatz, an dem Augustinus seine Gedanken ordnet: Was das Gesetz fordert, gibt das Evangelium — konzentriert die Gnadenwirkung auf die Herstellung des guten Willens ..."

[15] Ib., 473; 474: „Die Auslegung der ‚Gerechtigkeit aus Glauben' ist exegetisch falsch. Aber auch die protestantische Auslegung ist einseitig, indem sie von den erneuernden Geistwirkungen im Heilsprozeß so gut wie völlig absieht."

[16] Jauncey 287 sq.: „Does he understand δικαιοῦσθαι to mean ‚making just' or ‚reckoning just'? ... the majority of the Fathers from the time of Origen (before whose time was no discussion of the subject!) to that of Augustine, seem to hold the ‚infusion' theory. And in this St. Augustine really follows them; taking his stand upon Rom. 1, 17, he says that the righteousness is that which has its source with God, but is imparted to man ... Faith is, then, to St. Augustine, the first gift of grace, and it is imparted to man, not merely imputed, and so is efficient to produce as its fruit good works, which are really righteous, and so acceptable to God. Upon this idea is built up the whole of the Catholic theory of grace ..."

stantialis“.[17] Tales voces, licet ex parte exaggeratae, continent tamen aliquam justitiam vere intrinsecam.[18]

Sic omnes auctores citati, suo quisque modo, testimonium perhibent de vera justitia inhaerente apud Augustinum.

Ostendendum modo est, communem istam interpretationem legitimam esse; ad hoc inspicere oportet, quid de hac quaestione habeatur in ejus operibus inde a tractatu De diversis quaestionibus ad Simplicianum. Hoc opus jure merito ut terminus a quo consideratur, cum hodie communiter agnoscatur, ibi doctrinam de gratia jam substantialiter perfectam inveniri.[19] Quae vero ante episcopatum scripta sunt, non adhibebuntur nisi interdum, confirmationis et illustrationis gratia.[20]

Caput II.

De existentia alicujus justitiae inhaerentis.

Quomodo secundum Augustinum homo fiat justus coram Deo, utrum per aliquam extrinsecam imputationem justitiae Christi, an

---

[17] Hamel I, 119: „... Zuständliche Gerechtmachung.“ Ib., 118: „Augustinus benutzt das Gleichnis (sc. parabolam Samaritani) fast durchweg zur Demonstration dieser naturhaft-substantiell gedachten Gerechtmachung ...“; ib., 171: „Daß durch diese moralische Betrachtung die geschenkte Gerechtigkeit substantiellen Charakter erhält, ist deutlich.“

[18] Alias differentias, quae jam annis 1513/15 existunt inter doctrinam Lutheri et Augustini, vide ib., 60 sq.; 71 sq.; 83—90; 109; 221—223; et praesertim 167—195.

[19] Schanz in TQS 83 (1901), 484; Portalié in DTC I, 2379 sq. Praeter auctores ibi citatos (J. Martin, Loofs, Reuter, Turmel) etiam: Harnack III, 63, nota 1; 165 sq. (implicite); Seeberg II, 445—447; Salgueiro, La doctrine de St. Augustin sur la grâce d'après le traité à Simplicien, Porto 1925 (recens. in Ami du Clergé, tom. 44 (1927), 645, et ab H. Lange in Scholastik 2 (1927), 428—432. Ib., 432: „In der kleinen Schrift Ad Simplicianum sind schon alle beherrschenden Grundlinien der Gnadenlehre Augustins erkennbar.“); Mausbach II, 1 sq.; 6; Hofmann in ThGl 22 (1930), 424—426.

[20] De chronologia operum vide: Portalié in DTC I, 2311—2314; Bardenhewer IV, 444—501; Rauschen-Altaner 326—337; Nebreda 1—12; A. Casamassa in Enciclopedia Italiana I, 916—920; M. Grabmann in LThK I, 828—830; Zarb in Angelicum 10 (1933), 50—110; 261—285; 359—396; 478—512; 11 (1934), 78—91. De Sermonibus in specie: Kunzelmann in MA II, 417—520. Textus Scripturae citantur, sicut Augustinus eos citare solet, indicata discrepantia versionis Vulgatae, si qua est alicujus momenti, secundum M. Hetzenauer O.M.Cap., Biblia Sacra. Ratisbonae et Romae 1914.

per intrinsecam quandam mutationem — haec est quaestio nunc discutienda. Ad ejus dilucidationem tria investigabimus:

1. quomodo interpretetur textus S. Pauli de „Justitia Dei“;
2. qualem exhibeat definitionem justificationis;
3. quomodo describat vitam hominis justificati.

§ 1. Exegesis textuum de „Justitia Dei“

A. Ex textibus illis, quorum in hac nostra materia magnus est usus et abusus, primo loco considerare oportet Rom. 10, 2—4: „2. Testimonium enim perhibeo illis quod zelum (Vulg. aemulationem) Dei habent, sed non secundum scientiam. 3. Ignorantes enim justitiam Dei, et suam volentes constituere (Vulg. quaerentes statuere), justitiae Dei non sunt subjecti. 4. Finis enim legis Christus, ad justitiam omni credenti.“ Istum textum plus minusve completum S. Doctor passim citat; praescindendo ab illis locis, in quibus solus v. 4 citatur (v. g. in Enarrationibus in Psalmos passim, quando explicat titulum: In finem), v. 3 vel solus vel in suo contextu plus quam 90 vicibus occurrit. Quandonam Augustinus primo adhibeat istum textum, difficile est statuere, deficiente certa chronologia multorum sermonum et adhuc magis Enarrationum in Psalmos; certo tamen jam ante annum 400 (Quaest. Evangel. II, 38). Tamen satis rarae sunt citationes ante controversiam pelagianam; inde fiunt frequentiores et perdurant usque ad ultima opera.

Ad ipsam explicationem quod attinet, textus commode dipesci possunt in tres classes, non secundum interpretationis diversitatem, sed secundum minorem majoremve determinationem; inde fit, ut una classis sensim sine sensu in aliam transeat.

a) In prima classe non explicatur positive, quid sit justitia Dei, sed aliquomodo erui potest ex opposito. Qui „suam justitiam volunt constituere“, justi esse volunt ex possibilitate naturali per liberum arbitrium,[1] sunt superbi, contumaces, de seipsis praesumentes,[2] per se fortes se putant, jac-

---

[1] De nat. et gr., c. 40, n. 47. ML 44, 270. CSEL 60, 268, 9—18; De gr. chr. et pecc. orig. I, c. 41, n. 45; c. 42, n. 46. ML 44, 381. CSEL 42, 158, 14—159, 17; C. duas epist. Pelag. III, c. 7, n. 20. ML 44, 603. CSEL 60, 510, 1—511, 7.

[2] En. in Ps. 17, n. 28. ML 36, 151; En. 2 in Ps. 30, n. 13. ML 36, 238; in Ps. 38, n. 18. ML 36, 427 sq.; in Ps. 73, n. 18. ML 36, 940; in Ps. 118, Serm. 27, n. 9. ML 37, 1582 sq.; De spir. et litt., c. 13, n. 22. ML 44, 214. CSEL 60, 175, 20—176, 17, etc.

tantes vires suas,[3] de operibus suis gloriantes sibique placentes,[4] qui non confitentur peccata sua,[5] qui sani sibi videntur ideoque rejiciunt medicum.[6] His omnibus saltem negative circumscribitur, quid sit justitia Dei: ea quam homo non habet ex seipso, non ex propriis viribus, de qua nequit gloriari..

b) Textus secundae classis ulterius describunt justitiam Dei ut a Deo datam, ex dono et gratia Dei provenientem.[7] Deus est ejus causa et origo, Deus, qui liberat et adjuvat,[8] qui replet benedictione pauperes ad eum confugientes,[9] qui implet Spiritu Sancto,[10] Deus, qui justificat impium.[11] Hoc sensu textus noster cum magna emphasi adhibetur in controversia cum Donatistis: „Quid enim aliud et vos quam vestram justitiam vultis constituere, quando non dicitis justificari nisi eos qui a vobis potuerint baptizari?“[12] „Quid est aliud, ignorare Dei justitiam et suam velle constituere, nisi dicere: Ego sanctifico, ego justifico; quod ego dedero, hoc sanctum est? Dimitte Deo quod Dei est; agnosce, homo, quod hominis est. Ignoras Dei justitiam et tuam vis constituere. Justificare me vis; sufficit tibi, ut mecum justificeris.“[13] Tamquam loci paralleli citantur ex Novo Testamento 1. Cor. 4, 7;[14] Phil. 3,

---

[3] En. in Ps. 27, n. 8. ML 36, 212; in Ps. 58, n. 7. ML 36, 696 sq.; in Ps. 106, n. 10. ML 37, 1424; Ep. 145, n. 3. ML 33, 593. CSEL 44, 268, 21—269, 5, etc.

[4] En. in Ps. 70, n. 18 sq. ML 36, 887 sq.; Ep. 140, c. 34, n. 79. ML 33, 574. CSEL 44, 227, 4—15; Serm. 129, n. 2. ML 38, 721; In Jo., tr. 53, n. 9. 11. ML 35, 1778 sq.; De pecc. mer. I, c. 27, n. 43. ML 44, 133. CSEL 60, 41, 5—9, etc.

[5] En. in Ps. 46, n. 6. ML 36, 527.

[6] En. in Ps. 58, n. 7. ML 36, 696 sq.; in Ps. 70, n. 1. ML 36, 874.

[7] De perf. justitiae, c. 10, n. 22. ML 44, 303 sq. CSEL 42, 23, 8—23; En. 2 in Ps. 30, Serm. 1, n. 6. ML 36, 233; in Ps. 71, n. 3. ML 36, 903; Ep. 190, n. 7. ML 33, 859. CSEL 57, 143, 4—9; Ep. 194, n. 36. ML 33, 887. CSEL 57, 205, 4—15; De Trin. XIV, c. 12, n. 15. ML 42, 1048; Quaest. in Hept. II, 65. ML 34, 618. CSEL 28 III, 131, 11—20, etc. Multos textus hujus tenoris ex Enarr. in Ps. indicat Hamel I, 167, nota 3.

[8] Op. imperf. c. Jul. I, c. 37. ML 45, 1064; En. in Ps. 77, n. 7. ML 36, 987; Serm. 363. n. 2. ML 39, 1635.

[9] Serm. 189, n. 2. ML 38, 1005 sq. MA I, 210, 10—22; De catech. rud., c. 3, n. 6. ML 40, 314.

[10] In Jo., tr. 93, n. 2. ML 35, 1865 sq.

[11] Ep. 157, n. 4—6. ML 33, 675 sq. CSEL 44, 451, 6—453, 7; Ep. 185, n. 37 sq. ML 33, 809. CSEL 57, 33, 4—25; Ep. 194, n. 6. ML 33, 875. CSEL 57, 180, 9—15.

[12] Ep. 93, n. 10. ML 33, 326. CSEL 34 II, 454, 20—23.

[13] Serm. 129, n. 6. ML 38, 723. Eadem argumentatio etiam contra Pelagianos: De pecc. mer. I, c. 14, n. 18. ML 44, 119. CSEL 60, 18, 9—22.

[14] En. in Ps. 70, n. 1. ML 36, 874; Quaest. in Hept. II, 65. ML 34, 618. CSEL 28 III, 131, 11—20; Serm. 160, n. 1 sq. ML 38, 872—874.

9;[15] Jac. 1, 17;[16] ex Vetere Testamento modus loquendi illustratur ex Ps. 3, 9: „Sicut ergo quod legitur, Domini est salus (l. c.), non ea salus intelligitur, qua Dominus salvus est, sed qua hi salvi sunt quos ipse salvos facit; sic cum legitur Dei justitia in eo quod scriptum est: Ignorantes Dei justitiam . . ., non est illa intelligenda qua Deus justus est, sed qua justi sunt homines quos gratia sua justificat. Inde enim salvi, unde justi.“[17] Adducitur etiam Ps. 84, 12 „justitia de caelo prospexit“[18] et Ps. 131, 16: „Sacerdotes tui, inquit, induantur justitiam. Vestis accipitur, non cum capillis nascitur; pecora de suo vestiuntur. Hanc praedicat Apostolus Paulus; a Deo tibi sit. Geme ut impetres, plora ut impetres, crede ut impetres.“[19] Metaphora indumenti (quae tamen l. c. nihil aliud significat nisi justitiam ab extrinseco acceptam esse, non autem mere extrinsece adhaerere), occurrit etiam in celebri loco, in quo Luther sibi visus est aliquam confirmationem suae doctrinae invenisse: „Justitia, inquit, Dei manifestata est; non dixit, justitia hominis, vel justitia propriae voluntatis, (sed) justitia Dei, non qua Deus justus est, sed qua induit hominem, cum justificat impium.“[20] Concedi posset, ista verba, si mere in se spectentur, intelligi posse de justitia imputata; sed haec interpretatio omnino excluditur per multos alios locos, qui pertinent *c)* ad tertiam classem testimoniorum; ubi justitia Dei describitur ut justitia, quam Deus in homine facit, ut homo per eam vere justus sit. In ipso loco citato prosequitur: „Haec (sc. justitia Dei) testificatur per legem et prophetas: huic quippe testimonium perhibent Lex et Prophetae, Lex quidem, hoc ipso quod jubendo et minando et neminem justificando satis indicat, dono Dei justificari hominem per adjutorium Spiritus; Prophetae autem, quia id quod praedixerunt, Christi implevit adventus.“[21] Hoc autem adjutorium datur ad bene vivendum, ad observationem mandatorum, qua homo ostendit justum se esse. Hoc enuntiatur multoties multisque

---

[15] En. in Ps. 124, n. 6. ML 37, 1652; in Ps. 142, n. 5. ML 37, 1848; Op. imp. c. Jul. II, c. 158. ML 45, 1209.

[16] Serm. 185, n. 2. ML 38, 998.

[17] Ep. 140, c. 30, n. 72. ML 33, 570. CSEL 44, 219, 23—220, 2; similiter: Op. imp. c. Jul. VI, c. 18. ML 45, 1542; Serm. 131, n. 9. ML 38, 733.

[18] Serm. 185, n. 2. ML 38, 998; Serm. 189, n. 2. ML 38, 1005 sq. MA I, 210, 10—22.

[19] Serm. 169, n. 11. ML 38, 922.

[20] De spir. et litt., c. 9, n. 15. ML 44, 209. CSEL 60, 167, 5—8. Cf. Denifle, p. VIII; Hamel I, 9—11; 192.

[21] De spir. et litt., n. 15. ML 44, 209. CSEL 60, 167, 8—13.

formulis aequivalentibus. „Illa namque justitia Dei commendatur in eo quod dicitur ‚ignorantes Dei justitiam', qua nos ex ejus gratia justi sumus, ut ipsa justitia ejus nos simus, cum juste vivimus, credentes in eum qui justificat impium (Rom. 4, 5); non illa qua ipse justus est aeterna sua et incommutabili justitia. Haec itaque justitia, qua nos Dei munere justi sumus, significatur in psalmo illo, ubi scriptum est: Justitia tua sicut montes Dei (Ps. 35, 7). Montes quippe Dei, sancti ejus sunt."[22] Hac justitia Dei donatus, homo ambulat in via justa,[23] facit justitiam,[24] vincit concupiscentiam,[25] fit fortis ad vincendum diabolum,[26] recte et bene vivit,[27] facit opera praemio digna,[28] implet legem[29] et sic justus est, quia „non ... auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur (Rom. 2, 13)."[30] Non per proprias vires implet mandata, sed per adjutorium Dei,[31] quo praeparatur voluntas, ut homo sit bonae voluntatis,[32] dum Deus in eo operatur velle et perficere. (Phil. 2, 13.)[33] Istud adjutorium est „Dei gratia per Jesum Christum Dominum nostrum",[34] caritas diffusa in cordibus nostris

---

[22] Ep. 140, c. 30, n. 71. ML 33, 570. CSEL 44, 218, 17—25; similiter: ib., n. 72. ML 33, 570. CSEL 44, 219, 23—220, 5.

[23] De nat. et gr., c. 32, n. 36. ML 44, 264 sq. CSEL 60, 259, 14—260, 26; En. in Ps. 118, Serm. 10, n. 5 sq. ML 37, 1527.

[24] Quaest. Evang. II, 38. ML 35, 1350 (cit. Mt. 21, 43).

[25] En. 2 in Ps. 30, n. 6. ML 36, 233 sq.; Ep. 177, n. 13 sq. ML 33, 769 sq. CSEL 44, 681, 8—682, 11; C. duas epist. Pelag. III, c. 2, n. 2 (cit. Rom. 8, 3. 4. 14). ML 44, 587 sq. CSEL 60, 486, 8—487, 20, etc.

[26] De Civ. Dei XVII, c. 4, n. 7. ML 41, 531. CSEL 40 II, 216, 27—217, 7.

[27] En. in Ps. 142, n. 5 sq. ML 37, 1848; ib., n. 10 sq. ML 37, 1851, etc.

[28] En. in Ps. 118, Serm. 22, n. 2. ML 37, 1563.

[29] En. in Ps. 118, Serm. 10, n. 5. ML 37, 1527; Ep. 186, n. 37 sq. ML 33, 830 sq. CSEL 57, 76, 16—78, 9; Ep. 196, n. 7. ML 33, 893 sq. CSEL 57, 220, 12—28, etc.

[30] C. duas epistol. Pelag. III, c. 2, n. 2. ML 44, 587. CSEL 60, 486, 11—17.

[31] En. in Ps. 118, Serm. 27, n. 9. ML 37, 1583; in Ps. 142, n. 17. ML 37, 1855; Ep. 186, n. 9. ML 33, 819. CSEL 57, 52, 8—16; Quaest. in Hept. VI, 28. ML 34, 790. CSEL 28 III, 444, 27—445, 15; In Jo., tr. 53, n. 10. ML 35, 1778; De Civ. Dei XVII, c. 4, n. 3. ML 41, 528 sq. CSEL 40 II, 213, 25—30; De nat. et gr., c. 1, n. 1. ML 44, 247 sq. CSEL 60, 233, 16—20; C. duas epist. Pelag. III, c. 4, n. 9. ML 44, 593. CSEL 60, 494, 27—496, 5; De gr. et lib. arb., c. 12, n. 24. ML 44, 895 sq., etc.

[32] Serm. 169, n. 13. ML 38, 922 sq.; Serm. 185, n. 3. ML 38, 998; Op. imp. c. Jul. I, c. 79; II, c. 154. ML 45, 1102. 1207.

[33] Quaest. in Hept. V, 15. ML 34, 756 sq. CSEL 28 III, 384, 27—385, 9; Ep. 140, c. 21, n. 53 sq. ML 33, 561. CSEL 44, 200, 8—14; De nat. et gr., c. 32, n. 36. ML 44, 264. CSEL 60, 259, 14—28; Op. imp. c. Jul. II, c. 158. ML 45, 1209.

[34] Serm. 131, n. 9. ML 38, 733.

per Spiritum Sanctum,[35] quae est plenitudo legis (Rom. 13, 10),[36] qua justitia Dei fit dulcis, ita ut lex impleatur cum delectatione, jam non cum timore.[37]

En textum, qui mirabili brevitate et perspicuitate perstringit totum: „Quid est hoc, justitia Dei et justitia hominis? Justitia Dei hic dicitur, non qua justus est Deus, sed quam dat homini Deus, ut justus sit homo per Deum. Quae autem erat illorum justitia? Qua de suis viribus praesumebant, et quasi impletores legis seipsos ex sua virtute dicebant. Nemo autem implet legem, nisi quem adjuverit gratia, id est panis qui de caelo descendit. Legis enim plenitudo compendio, ut ait Apostolus, caritas est (Rom. 13, 10); caritas non nummi, sed Dei; caritas non terrae, non coeli, sed ejus qui fecit coelum et terram. Unde ista caritas homini? Ipsum audiamus: Caritas, inquit, Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis (ib., 5, 5).“[38]

Apparet ex tota ista serie textuum, exegesim S. Doctoris a lutherana longe distare. „Justitia Dei“ ad mentem Augustini non est aliquid extrinsecus homini imputatum, sed econtra, aliquid in ipso homine per gratiam Dei effectum, quo homo vere justus est, et intime connexum cum observatione mandatorum Dei.

B. C. Nec magis Protestantibus favet interpretatio textuum parallelorum, quos nunc brevius tractare licebit.

Sunt autem 1. Cor. 1, 30. 31: „Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio: — ut quemadmodum scriptum est: Qui gloriatur, in Domino glorietur“, et 2. Cor. 5, 21: „Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.“

Uterque textus jam in Confessionibus citatur, ergo circa a. 397—401,[39] et explicatio eadem datur ac in textum supra examinatum: „... quantum interest inter lumen quod illuminat et quod illuminatur, tantum inter sapientiam quae creat et istam quae creata est, sicut inter justitiam justificantem et justitiam

[35] De spir. et litt., c. 33, n. 59. ML 44, 240. CSEL 60, 219, 18—25; C. duas epist. Pelag. III, c. 7, n. 20 sq. ML 44, 603. CSEL 60, 510, 20—511, 19.

[36] Serm. 169, n. 10. ML 38, 921, etc.

[37] De Civ. Dei XXI, c. 24, n. 5. ML 41, 739 sq. CSEL 40 II, 562, 1—563, 2.

[38] In Jo., tr. 26, n. 1. ML 35, 1607.

[39] Portalié (in DTC I, 2311) et Bardenhewer (IV, 451) scriptioni hujus operis assignant annum 400; Casamassa (in Encicl. Ital. I, 917 b) a. 397/98; Zarb (Angelicum 10 (1933), 482—484) a. 397—401.

quae justificatione facta est. Nam et nos dicti sumus justitia tua. Ait enim quidam servus tuus: ut nos simus justitia Dei in ipso."[40] In hac interpretatione sanctus Doctor sibi constat.

Sint quaedam in particulari de utroque textu.

B. Quomodo Christus est nostra justitia? (1. Cor. 1, 30.) „Ea porro justitia, que vivit in seipsa, procul dubio Deus est, atque incommutabiliter vivit. Sicut autem haec cum sit in seipsa vita, etiam nobis fit vita, cum ejus efficimur utcumque participes, ita cum in seipsa sit justitia, etiam nobis fit justitia, cum ei cohaerendo juste vivimus; et tanto magis minusve justi sumus, quanto magis illi minusve cohaeremus. Unde scriptum est de unigenito Filio Dei, cum sit utique Patris Sapientia atque Justitia, quod factus sit nobis a Deo sapientia et justitia, et sanctificatio et redemptio . . . Est plane ille summus Deus vera justitia, vel ille verus Deus summa justitia; quam profecto esurire ac sitire, ea nostra est in hac peregrinatione justitia, et qua postea saturari, ea nostra est in aeternitate plena justitia. Non ergo Deum nostrae justitiae similem cogitemus, sed cogitemus nos potius tanto similiores Deo, quanto esse poterimus (al. potuerimus) ejus participatione justiores."[41] Elementa hujus expositionis plus minusve eadem etiam alibi inveniuntur. Christus est justitia nostra, quia est lumen verum quod illuminat omnem hominem,[42] quia credentes speramus per ipsum nos fieri justos;[43] in ipso apparuit justitia Dei, id est quae hominibus ex Deo est,[44] ipse dat victoriam de concupiscentia[45] et perseverantiam finalem.[46] — De cetero vel nulla datur explicatio, vel connectitur cum Rom. 10, 3, ita ut exegesis in supra memoratam incidat.[47] Si interdum sine ulteriore explicatione Christus dicitur nostra justitia,[48] inde nihil sequitur in favorem justitiae imputatae, spectata

---

[40] Conf. XII, c. 15, n. 20. ML 32, 833. CSEL 33, 322, 23—323, 5. Alter textus (1. Cor. 1, 30. 31) citatur ib., V, c. 3, n. 5. ML 32, 708. CSEL 33, 92, 11—20, sed vix explicatur.

[41] Ep. 120, n. 19. ML 33, 461. CSEL 34 II, 720, 26—721, 18.

[42] De Trin. VII, c. 3, n. 5. ML 42, 937 sq.

[43] Op. imp. c. Jul. I, c. 140. ML 45, 1139.

[44] C. duas epist. Pelag. III, c. 4, n. 13. ML 44, 597. CSEL 60, 500, 16—28; En. in Ps. 118, Serm. 25, n. 6. ML 37, 1575.

[45] C. Jul. VI, c. 23, n. 70. ML 44, 866.

[46] De corr. et gr., c. 12, n. 37 sq. ML 44, 939.

[47] In Jo., tr. 26, n. 1. ML 35, 1606 sq.; Serm. 185, n. 2. ML 38, 998.

[48] De continentia, c. 11, n. 25. ML 40, 367. CSEL 41, 174, 2—6; In Jo., tr. 88, n. 2. ML 35, 1855; De Civ. Dei XXI, c. 24, n. 5. ML 41, 739 sq. CSEL 40 II, 562, 12—563, 12; De patientia, c. 20, n. 17. ML 40, 621. CSEL 41, 682, 18—683, 10; En. in Ps. 118, Serm. 12, n. 5. ML 37, 1535.

interpretatione ceteroquin constanti, spectata etiam metaphora causae pro effectu, quae quam familiaris sit Augustino, nemo est qui nesciat. Praesertim in interpretatione Sacrae Scripturae est ei regula fixa, qua frequentissime utitur: „Moris est divinarum Scripturarum personae Dei tribuere quod in nobis facit; non quidem ubique, sed ubi congruenter dici potest . . .“[49] Unde v. g. „Deus meus, inquit, misericordia mea. Quid est, misericordia mea? Si dicas, Salus mea, intelligo quia dat salutem; si dicas, Refugium meum, intelligo quia confugis ad eum; si dicas, Fortitudo mea, intelligo quia dat tibi fortitudinem. Misericordia mea, quid est? Totum quidquid sum, de misericordia tua est.“[50] Propterea jam ex hoc solo capite, etsi nullos alios haberemus textus explicitos, obvia esset illatio: Christus dicitur nobis factus esse justitia, quia dat justitiam, et quidem illo modo, qui supra descriptus est.

C. Pauca addenda sunt de posteriore textu (2. Cor. 5, 21). Plerumque non explicatur; si autem explicatur, semper ita, ut clare enuntietur vel saltem includatur justitia interna, v. g. „Haec est illa justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos ab eo facti.“[51] „Magis autem commendat quod dicit dicendo nos esse justitiam, quam dicendo nos esse justos; ita tamen ut cum justitiam dicit esse, justos intelligamus. Non enim sumus illa incommutabilis justitia, cujus participes facti sumus; sed quemadmodum dicitur, Magna ibi juventus est, pro multis juvenibus, sic dicitur justitia, ut intelligantur justi.“[52] Alibi textus noster consideratur ut parallelus Rom. 10, 3[53] vel explicatur per Phil. 2, 13.[54]

Nullus ergo ex his tribus textibus umquam explicatur de justitia Dei, qua reputemur justi, quamvis in nobismetipsis non simus, sed intelligitur semper aliqua justitia realis et hominii intrinseca. — Haec sufficiant de isto argumento exegetico.[55]

---

[49] En. in Ps. 3, n. 6. ML 36, 75.

[50] En. in Ps. 58, Serm. 2, n. 11. ML 36, 713. Cf. etiam De Trin. XV, c. 17. n. 27; c. 19, n. 37. ML 42, 1079 sq., 1086, cum explicatione S. Thomae, Summa theol. II. II. 23, 2 ad 1. Secundum eandem regulam passim interpretatur Gen. 22, 12; Deut. 13, 3; Mc. 13, 32; Gal. 4, 6; Rom. 8, 26, etc.

[51] De spir. et litt., c. 18, n. 31. ML 44, 220. CSEL 60, 185, 18 sq.

[52] Serm. 169, n. 2. ML 38, 916. Cf. In Jo., tr. 48, n. 6. ML 35, 1743.

[53] Ep. 186, n. 9. ML 33, 819. CSEL 57, 52, 8—23; Quaest. in Hept. V, 15. ML 34, 756 sq. CSEL 28 III, 384, 10—385, 9.

[54] Quaest. in Hept., l. c.

[55] De aliis textibus (Rom. 1, 17; 3, 21) vide Denifle 3—6.

§ 2. Definitio justificationis.

Aliud argumentum habetur ex definitione justificationis, quam Augustinus constanter eandem exhibet. Sic jam ante episcopatum: „Quod autem ait, ‚Qui justificat impium', hoc est, ex impio pium facit, ut de cetero in ipsa pietate permaneat atque justitia; quia ideo justificatus est ut justus sit, non ut peccare sibi licere arbitretur."[56] Et initio episcopatus, in tractatu Ad Simplicianum: „... qui justificat, non pium, sed impium, ut justificando pium faciat."[57] In controversia cum Donatistis maximopere in hoc insistit: „Christus sanat, Christus mundat, Christus justificat: homo non justificat. Quid est justificare? Justum facere. Quomodo mortificare, mortuum facere; vivificare, vivum facere; sic et justificare, justum facere... Quisquis crediderit in eum qui justificat impium, qui de impio facit pium; quisquis ergo crediderit in eum qui justificat impium, qui justum facit eum qui impius erat, deputatur fides ejus ad justitiam."[58] Si haec explicatio nihil exhiberet nisi etymologiam vocis „justificare" nec magis premeret realem aliquam efficientiam, argumentum nihil prorus valeret contra Donatistas. Sed adhuc clarius mentem suam aperit S. Doctor, coepta jam controversia pelagiana, explicando Rom. 2, 13: „... sic intelligendum est, factores legis justificabuntur, ut sciamus aliter eos non esse factores legis, nisi justificentur; ut non justificatio factoribus accedat, sed ut factores justificatio praecedat. Quid est enim aliud, justificati, quam justi facti, ab illo scilicet qui justificat impium (Rom. 4, 5), ut ex impio fiat justus? Si enim ita loqueremur, ut diceremus, Homines liberabuntur, hoc utique intelligeretur, eis qui jam homines essent accedere liberationem: si autem diceremus, Homines creabuntur, non utique intelligeretur eos creari qui (jam homines) erant, sed ipsa creatione homines fieri. Ita si dictum esset, Factores legis honorabuntur; non recte acciperemus nisi honorem illis qui jam essent factores legis accedere; cum vero dictum est, factores legis justificabuntur; quid aliud dictum est quam, justi justificabuntur? factores enim legis utique justi sunt. Ac per hoc tantundem est ac si diceretur, Factores legis creabuntur, non qui (al. quia) erant, sed ut sint: ut sic intelligerent etiam Judaei legis auditores, indigere se gratia justificatoris, ut possint esse factores. — Aut certe

---

[56] Expositio quarundam propositionum ex Ep. ad Rom., 22. ML 35, 2066 sq.
[57] Ad Simpl., I, q. 2, n. 3. ML 40, 113.
[58] Serm. 292, n. 6. ML 38, 1324.

ita dictum est, justificabuntur, ac si diceretur, justi habebuntur, justi deputabuntur, sicut dictum est de quodam, Ille autem volens se justificare (Lc. 10, 29); id est, ut justus haberetur et deputaretur. Unde aliter dicimus, Deus sanctificat sanctos suos; aliter autem, Sanctificetur nomen tuum (Mt. 6, 9). Nam illud ideo, quia ipse illos facit esse sanctos, qui non erant sancti: hoc autem ideo, ut quod semper apud se sanctum est, sanctum etiam ab hominibus habeatur, id est, sancte timeatur."[59]

Iste textus ideo magni momenti est, quia hic Augustinus admittit, „justificari" posse intelligi „justum haberi, justum deputari" (etymologice atque etiam exegetice in loco citato), sed praefert priorem interpretationem; deinde etiamsi altera admittatur, supponit tamen aliquam justitiam realem; tandem justitiam hominis nequaquam reponit in illa reputatione, sed in aliqua realitate praesupposita, in vera justitia interna, quae se manifestat per observationem mandatorum.

Eaedem formulae alibi frequenter occurrunt: cum justificatur impius, ex impio fit justus,[60] efficitur justus,[61] fit pius;[62] justitia Dei eum pium facit, justitia sua superbum;[63] Deus „. . . praetendit misericordiam suam scientibus eum, et justitiam suam his qui recto sunt corde (Ps. 35, 11). Neque enim quia sciunt, sed etiam ut sciant eum, praetendit misericordiam suam; nec quia recti sunt corde, sed etiam ut recti sint corde, praetendit justitiam suam, qua justificat impium".[64] Haud aliter loquitur in ultimis scriptis suis.[65] Impius justificatus fit justus infusa justitia,[66] justitia a Christo in eum trajicitur, transit, sicut peccatum ab Adam.[67]

---

[59] De spir. et litt., c. 26, n. 45. ML 44, 228. CSEL 60, 199, 7—200, 4.

[60] Serm. 131, n. 9. ML 38, 733; Serm. 185, n. 2. ML 38, 998; Ep. 140, c. 21, n. 52. ML 33, 560. CSEL 44, 198, 25 sq.; En. in Ps. 118, Serm. 26, n. 1. ML 37, 1577; En. 2 in Ps. 31, n. 6. ML 36, 262; De gr. et lib. arb., c. 6, n. 13. ML 44, 889; Ep. 214, n. 4. ML 33, 970. CSEL 57, 384, 5—8, etc.

[61] En. in Ps. 109, n. 1. ML 37, 1446; De spir. et litt., c. 32, n. 56. ML 44, 237. CSEL 60, 214, 13—215, 15.

[62] En. 2 in Ps. 30, Serm. 1, n. 6. ML 36, 234; Serm. 160, n. 7. ML 38, 877; In Jo., tr. 3, n. 9. ML 35, 1400; Serm. Casin. II, 114. MA I, 416, 16.

[63] En. in Ps. 118, Serm. 15, n. 8. ML 37, 1543.

[64] De spir. et litt., c. 7, n. 11. ML 44, 206. CSEL 60, 162, 24—163, 2.

[65] Retr. II, c. 33, n. 2. ML 32, 644. CSEL 36, 171, 1—3; Op. imp. c. Jul. III, c. 70. ML 45, 1279.

[66] En. 2 in Ps. 30, Serm. 2, n. 2. ML 36, 240.

[67] Op. imp. c. Jul. II, c. 203; III, c. 49. ML 45, 1228. 1270. Cf. Enchir., c. 52. ML 40, 256: „. . . ut quemadmodum in illo (sc. Christo) vera mors facta est, sic in nobis vera remissio peccatorum; et quemadmodum in illo vera

Haec omnia non sunt purae metaphorae, ut ex sequentibus adhuc evidentius apparebit.

Si quando dicitur „i m p u t a r i generatis parvulis injustitiam primi hominis ad subeundum supplicium, quemadmodum imputatur parvulis regeneratis justitia secundi hominis ad obtinendum regnum caelorum“,[68] hoc non favet justitiae imputatae sensu protestantico, sed potius probat contrarium; secus enim dicendum esset, etiam peccatum originale secundum Augustinum in mera imputatione praevaricationis Adae consistere, quod nemo serio affirmaverit; deinde, sermo est de solis parvulis, et ab eis excluduntur actus justitiae, sed nullo modo negatur mutatio realis intrinseca per justificationem cum illis effectibus, de quibus infra dicendum erit.[69]

§ 3. Descriptio vitae hominis justificati

„Non enim est alia justitia hominis in hac vita, nisi ex fide vivere, quae per dilectionem operatur.“[70] „Lex igitur adducit ad fidem, fides impetrat Spiritum largiorem, diffundit Spiritus caritatem, implet caritas legem.“[71] In istis formulis essentialiter continetur descriptio vitae hominis justi, quae tota pullulat ex radice caritatis; ad caritatem autem homo pervenit per fidem.

a) Proinde j u s t i f i c a t u r „p e r f i d e m, q u a e p e r d i l e c t i o n e m (Vulg.: caritatem) o p e r a t u r“ (Gal. 5, 6); ita Augustinus inter se conciliat doctrinam Epistolae ad Romanos et Epistolae Jacobi.[72] Fides justificans ea est, qua non solum creditur Christo, sed etiam creditur in Christum, id est, fides cum caritate: „. . . si creditis in eum, creditis ei; non autem continuo qui credit

---

resurrectio, ita in nobis vera justificatio.“ Cf. C. Jul. VI, c. 3, n. 7. ML 44, 825 (infra, p. 92, nota 57).

[68] Op. imp. c. Jul. I, c. 57. ML 45, 1079.

[69] Cf. etiam Op. imp. c. Jul. VI, c. 22. ML 45, 1554.

[70] En. in Ps. 93, n. 29. ML 37, 1215.

[71] Ep. 145, n. 3. ML 33, 593. CSEL 44, 268, 9—11. Similiter: Ep. 186, c. 3, n. 7. ML 33, 818. CSEL 57, 50, 16—23, et alibi passim.

[72] Sic jam in De diversis quaestionibus, q. 76. ML 40, 87—89, quod opus si non totum, saltem pro maxima parte jam ante episcopatum scripsit. Cf. etiam En. 2 in Ps. 31, n. 6. ML 36, 261 sq. — Augustinus non solet adeo exacte distinguere inter munus caritatis in ipsa justificatione et in vita justi, sed potius loquitur de utroque complexive. Clare docet, caritatem infundi in ipsa justificatione (v. infra p. 53); plerumque autem loquitur de effectibus caritatis in vita justi, vel simpliciter extollit necessitatem caritatis, non distinguendo inter habitum et actum. Tamen recte scribit H a m e l (I, 170): „Die scholastische Lehre von der fides caritate formata hat hier ihre Augustinische Grundlage.“

ei, credit in eum. Nam et daemones credebant ei, et non credebant in eum. Rursus etiam de apostolis ipsius possumus dicere, Credimus Paulo, sed non, Credimus in Paulum; Credimus Petro, sed non, Credimus in Petrum. Credenti enim in eum qui justificat impium, deputatur fides ejus ad justitiam (Rom. 4, 5). Quid est ergo credere in eum? Credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire, et ejus membris incorporari. Ipsa est ergo fides quam de nobis exigit Deus; et non invenit quod exigat, nisi donaverit quod inveniat. Quae fides, nisi quam definivit alio loco Apostolus plenissime dicens: Neque circumcissio aliquid valet neque praeputium, sed fides quae per dilectionem operatur? Non qualiscumque fides, sed fides quae per dilectionem operatur."[73] Fides ergo sine caritate non salvat,[74] non est utilior quam fides daemonum;[75] sine caritate baptismus quoque nihil prodest,[76] immo nulla Dei dona prosunt.[77] Neque in quadam hypothesi impossibili loquitur Augustinus; re vera sine caritate fides potest inesse, sed non prodesse.[78]

„Magna est fides, sed nihil prodest si non habeat caritatem. Confitebantur et daemones Christum. Ergo credendo, sed non

---

[73] In Jo., tr. 29, n. 6. ML 35, 1631. Similiter: ib., tr. 25, n. 12. ML 35, 1602; Serm. 144, n. 2. ML 38, 788; En. 2 in Ps. 31, n. 1—8. ML 36, 257—263; in Ps. 67, n. 41. l. c., 838; in Ep. Jo., tr. 10, n. 1 sq. ML 35, 2054 sq.; Enchir., c. 8. ML 40, 235, etc.

[74] Ep. ad Gal. expositio, praef. ML 35, 2106; In Jo., tr. 22, n. 7, l. c., 1577 sq.; in Jo., tr. 87, n. 1. l. c., 1853; Serm. 53, n. 10. ML 38, 368 sq.; De fide et operibus, c. 14, n. 21. 23; c. 16, n. 27. ML 40, 211 sq. 215. CSEL 41, 61, 5—62, 18, 64, 6—18. 69, 1—13, etc.

[75] In Ep. Jo., tr. 2, n. 8. ML 35, 1993; Serm. 53, n. 11. ML 38, 369; Serm. 90, n. 8. ML 38, 564; Serm. 158, n. 6 sq. ML 38, 865 sq.; Serm. 234, n. 3. ML 38, 1116 sq.; De unico bapt., c. 10, n. 17. ML 43, 603 sq. CSEL 53, 17, 13—18, 8; De gr. et lib. arb., c. 7, n. 18. ML 44, 892, etc.

[76] In Jo., tr. 6, n. 14. ML 35, 1432; ib., n. 21, l. c., 1435; Serm. 71, n. 16. ML 38, 453; Serm. 218, n. 9, l. c., 1086; C. ep. Petiliani II, c. 77, n. 172. ML 43, 312. CSEL 52, 107, 6—20; De bapt. c. Donatistas I, c. 12, n. 18—20. ML 43, 119 sq. CSEL 51, 162—165.

[77] In Jo., tr. 7, n. 3. ML 35, 1439; tr. 83, n. 3, l. c., 1845 sq.; Serm. Den. 19, n. 1—4. n. 7. MA I, 98—102. 104; Serm. 4, n. 20. ML 38, 44; Serm. 142, n. 9. ML 38, 783; Serm. 209, n. 3. ML 38, 1047; En. in Ps. 103, Serm. 1, n. 9 sq. ML 37, 1342—1344, etc.

[78] De Trin. XV, c. 18, n. 32. ML 42, 1083; Sermo ad Caesar. Eccl. plebem, n. 3. ML 43, 692 sq. CSEL 53, 170, 25—171, 23. Similiter: Ad Simplic. II, q. 1, n. 8—10. ML 40, 135—137; C. Crescon. I, c. 29, n. 34. ML 43, 464. CSEL 52, 353, 15—354, 26; Enchir., c. 117. ML 40, 286; De spir. et litt., c. 36, n. 64. ML 44, 243. CSEL 60, 224, 20—22, etc. Cf. Mausbach II, 335—341.

diligendo dicebant: Quid nobis et tibi (Mc. 1, 24)? Fidem habebant, caritatem non habebant: ideo daemones erant. Noli de fide gloriari; adhuc daemonibus comparandus es.“[79] „Dilectio ergo sola discernit inter filios Dei et filios diaboli. Signent se omnes signo crucis Christi; respondeant omnes, Amen; cantent omnes, Alleluja; baptizentur omnes, intrent Ecclesias, faciant parietes basilicarum: non discernuntur filii Dei a filiis diaboli, nisi caritate. Qui habent caritatem, nati sunt ex Deo; qui non habent, non sunt nati ex Deo. Magnum indicium, magna discretio. Quidquid vis habe; hoc solum non habeas, nihil tibi prodest: alia si non habes, hoc habe, et implesti legem ... Haec est margarita pretiosa, caritas, sine qua nihil tibi prodest quodcumque habueris: quam si solam habeas, sufficit tibi.“[80]

b) Si tantus est valor, tanta necessitas caritatis, nec mirum est, infusionem caritatis intime cum justificatione connexam esse, veluti medullam constituere justificationis.[81] Intolerabilis Augustino est conceptio pelagiana justificationis, quae justificationem deprimit ad mere juridicam peccatorum remissionem sine infusione caritatis: „Non per solam peccatorum dimissionem justificatio ista confertur, nisi auctoribus vobis. Justificat quippe impium Deus, non solum dimittendo quae mala facit (fecit?), sed etiam donando caritatem, ut declinet a malo et faciat bonum per Spiritum Sanctum ...“[82] Similiter alibi contra gratiam mere externam, qualem ipsi docebant, sic arguit: „Tam multa dicis quibus nos adjuvat Deus, id est ‚praecipiendo, benedicendo, sanctificando, coercendo, provocando, illuminando‘: et non dicis, Caritatem dando; cum dicat Joannes Apostolus: Caritas ex Deo est (1. Jo. 4, 7). Unde item dicit, Ecce qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei vocemur et simus (ib., 3, 1). In hac caritate, quae cordi humano spiritu, non littera, datur, etiam potestas illa

---

[79] In Jo., tr. 6, n. 21. ML 35, 1435.

[80] In Ep. Jo., tr. 5, n. 7. ML 35, 2016. Similiter: ib., tr. 7, n. 7 sq. l. c., 2033; in Jo., tr. 76, n. 2. l. c., 1831; Serm. 90, n. 6. ML 38, 562 sq.; Serm. 93, n. 5. l. c., 575; Serm. 145, n. 4. l. c., 793; Ep. 188, c. 1, n. 3. ML 33, 850. CSEL 57, 121, 12—122, 9; De spir. et litt., c. 32, n. 56. ML 44, 236 sq. CSEL 60, 213, 1—215, 15; De Gen. ad litt. XI, c. 15, n. 20. ML 34, 437. CSEL 28 I, 347, 27—348, 19; De Civ. Dei XIV, c. 28. ML 41, 436. CSEL 40 II, 56, 30—57, 26, etc.

[81] Cf. Harnack III, 88: „Nicht in dem Glauben, sondern nur in der Liebe vermag er (Augustinus) die Kraft zu erkennen, die das Innere eines Menschen wirklich ändert, die ihm ein neues Verhalten giebt ...“ Cf. Seeberg II, 37 sq. (supra p. 40, nota 14).

[82] Op. imp. c. Jul. II, c. 165. ML 45, 1212.

intelligitur, de qua idem ipse in Evangelio suo, Dedit eis, inquit, potestatem filios Dei fieri (Jo. 1, 12).“[83]

Caritas adeo excellit inter elementa justificationis, ut interdum simpliciter identificetur cum justitia: „. . . caritas Dei, qua una vere justus est quicumque justus est . . .“[84] „Caritas ergo inchoata, inchoata justitia est; caritas provecta, provecta justitia est; caritas magna, magna justitia est; caritas perfecta, perfecta justitia est.“[85] „. . . ipsa est enim verissima, plenissima, perfectissima justitia . . .“[86]

Immo, caritas hominem deificat: „. . . talis et quisque, ejus qualis dilectio est. Terram diligis? terra eris, Deum diligis? quid dicam? deus eris? Non audeo dicere ex me, Scripturas audiamus: Ego dixi, dii estis, et filii Altissimi omnes (Ps. 81, 6).“[87]

„Quomodo enim radix omnium malorum cupiditas (1. Tim. 6, 10), sic radix omnium bonorum caritas.“[88] Caritas expugnat amorem mundi, cupiditatem et superbiam,[89] caritas est omnium virtutum fecunda parens.[90]

c) Si caritas Dei diffusa est in cordibus nostris, l e x jam non est littera occidens, sed i m p l e t u r p e r c a r i t a t e m, quia caritas est plenitudo legis (Rom. 13, 10),[91] per spiritum gratiae, quae dat, quod lex jubet,[92] ut mandatum jam non sit terribile, sed

---

[83] Ib., III, c. 106. l. c., 1291 sq. Alios locos vide apud M a u s b a c h II, 13, nota 2; 120, nota 3. Cf. etiam S c h a n z in TQS 83 (1901), 491—502.

[84] De nat. et gr., c. 38, n. 45. ML 44, 269. CSEL 60, 267, 3 sq.

[85] Ib., c. 70, n. 84. l. c., 290. CSEL 60, 298, 21—23.

[86] Ib., c. 42, n. 49. l. c., 271. CSEL 60, 270, 1 sq.

[87] In Ep. Jo., tr. 2, n. 14. ML 35, 1997. Cf. Ep. 140, c. 23, n. 56. ML 33, 562. CSEL 44, 202, 24—203, 7; De div. quaest., q. 35, n. 2. ML 40, 24; De Trin. XI, c. 2, n. 5. ML 42, 988.

[88] Serm. Wilm. 2, n. 5. MA I, 678, 1 sq., et passim. Cf. M a u s b a c h I, 222—229; II, 241—243; 339—341.

[89] In Ep. Jo., tr. 2, n. 8. ML 35, 1993 sq.; Serm. 90, n. 6. ML 38, 562 sq.; Serm. Denis 14. MA I, 65—70; De gr. Christi, c. 20, n. 21; c. 21, n. 22. ML 44, 370 sq. CSEL 42, 141, 15—142, 18; Enchir., c. 118. 121. ML 40, 287. 288; C. Jul. VI, c. 16, n. 50. ML 44, 851, etc. Cf. M a u s b a c h II, 339—341; 345—355.

[90] Cf. M a u s b a c h I, 205—215; 409—414; II, 49; 242 sq., ubi plures textus; G i l s o n 168—176 (ed. germanica 232—243).

[91] In Jo., tr. 26, n. 1. ML 35, 1607; tr. 82, n. 1 sq. l. c., 1843 sq; De spir. et litt., c. 17, n. 29; c. 25, n. 42. ML 44, 218. 226. CSEL 60, 182, 14—183, 7; 195, 14—196, 19, et alibi passim in eodem libro; C. Faustum XVII, c. 6; XIX, c. 18. ML 42, 344. 359. CSEL 25 I, 489 sq. 516—518; C. advers. legis et proph. I, c. 17, n. 35; II, c. 3, n. 10. ML 42, 623. 644; Serm. 125, n. 10. ML 38, 696 sq.; Serm. 270, n. 3—6. ML 38, 1240—1245; Serm. 350, n. 1. ML 39, 1533.

[92] De spir. et litt., c. 19, n. 34; c. 25, n. 42. ML 44, 221. 226. CSEL 60, 186, 29—188, 10. 195, 14—196, 19; Serm. 248, n. 4 sq. ML 38, 1160 sq.; Serm.

suave, et impleatur cum gaudio.[93] „Viam mandatorum tuorum, inquit, cucurri, cum dilatasti cor meum. Non ergo per proprium, et quasi nullius tuae opis indigum arbitrium meum; sed cum dilatasti cor meum. Cordis dilatatio, justitiae est delectatio. Haec munus est Dei, ut in praeceptis ejus non timore poenae angustemur, sed dilectione, et delectatione justitiae dilatemur. Hanc enim nobis promittit latitudinem ejus dicens: Habitabo in eis, et deambulabo (2. Cor. 6, 16). Quam enim latum est ubi deambulat Deus! In hac latitudine diffunditur caritas in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis (Rom. 5, 5).“[94]

Caput III.

De natura justitiae inhaerentis.

Hucusque vidimus hominem justificatum vere intrinsecus mutari, ad novam aliquam vitam transire. Sed quid est nova illa vita? Estne totus processus justificationis ita concipiendus, ut vires morales augeantur et sic homo capax fiat ad ponendos actus bonos, sed omnino naturales — an ita, ut elevetur ad aliquam novam participationem vitae divinae, ad statum altiorem, supra conditionem mere humanam? Aliis verbis: estne justitia intrinseca nihil aliud nisi series bonorum actuum, an includit etiam infusionem alicujus doni permanentis? Et si ita est, cujus generis est hoc donum permanens? estne mere medicinale, an elevat ad ordinem altiorem?

Quaestio sic posita non est superflua, quia, dum id quod supra probatum est, hodie satis communiter admittatur, de hoc problemate majores sunt dissensiones. B a j u s olim ut doctrinam augustinianam defendit: „Justitia, qua justificatur per fidem impius, consistit formaliter in oboedientia mandatorum, quae est operum justitia; non autem in gratia (habituali) aliqua animae infusa, qua adoptatur homo in filium Dei et secundum interiorem hominem renovatur ac divinae naturae consors efficitur, ut, sic

---

249, n. 3. ML 38, 1162 sq.; Serm. 250, n. 3. ML 38, 1165—1167; C. Faustum XV, c. 8. ML 42, 311—313. CSEL 25 I, 432—435; Enchir., c. 117. ML 40, 287.

[93] De Civ. Dei XXI, c. 24, n. 5. ML 41, 739 sq. CSEL 40 II, 562, 1—563, 12, et alibi passim.

[94] En. in Ps. 118, Serm. 10, n. 6. ML 37, 1527. Plura de caritate secundum Augustinum vide apud M a u s b a c h I, 168; 174—184; 202—207; II, 335—341.

per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps bene vivere et Dei mandatis oboedire possit."[1]

Similiter Augustinus etiam hodie a quibusdam intelligitur, qui totum justificationis processum sic describunt: Justificatio apud Augustinum duobus constat elementis: remissione peccatorum, quae datur in instanti, et sanatione concupiscentiae, quae nonnisi successive fit et proprie dictam regenerationem constituit.[2] Renovatio hominis, quae datur in baptismo, non est nisi inchoativa et consistit in aliquo augmento virium moralium;[3] de restitutione alicujus doni permanentis, elevantis, quod Adam perdidisset, nihil omnino Augustinus sciebat.[4]

Estne haec interpretatio legitima, an agnovit Augustinus illam quoque gratiam, quam theologia posterior vocat habitualem — et elevantem? Evidenter tales termini frustra quaererentur apud ipsum; sed fuitne realitas per eos significata ei totaliter ignota? Quaestio est satis complicata nec potest decidi citando aliquos textus, sed plures series idearum considerandae et ad invicem comparandae sunt. Investigandae igitur sunt quaestiones particulares:

1. Estne justitia hominis formaliter identica cum actibus, an aliquid praevium ad actus?
2. Si ita, quid est hoc elementum praevium?
3. Estne donum homini indebitum, tantummodo quia peccator est, an etiam ideo, quia creatura est?
4. Quales sunt effectus hujus doni?

His omnibus investigatis, aliquid certi statui poterit de natura justitiae inhaerentis.[5]

---

[1] Denzinger 1042.

[2] Cf. De Blic, RchSR 17 (1927), 421: „Lorsqu'il parle des effets du baptême, saint Augustin y distingue presque toujours deux éléments: la rémission des péchés, qui est immédiate et totale; et la guérison de la langueur charnelle, qui est progressive, et constitue proprement la régéneration."

[3] Ib., 423: „...la novitas produite par le sacrament... consiste en effet... dans un accroissement de force morale, qui permet au baptisé de résister à la concupiscence, de vivre selon l'esprit au lieu de vivre selon la chair."

[4] Ib., 429: „D'une autre raison, de la restitution d'un don surnaturel perdu en Adam...: rien, absolument rien." „...rien, en vérité, n'y suggère l'idée de l'infusion d'un don surélevant." Ib., 426 sq.: „...tout cela révèle sans ambiguité le moralisme au point de vue duquel se place exclusivement Augustin; tout cela montre bien que la rentrée en grâce, qu'il conçoit, n'implique pas une rentrée de la grâce, au sens que l'on nous propose." Cf. etiam ib., 419; 420.

[5] Cf. Garrigou-Lagrange in Acta Hebdom. Augustinianae-Thomisti-

§ 1. De relatione inter justitiam et actus justos.

Indubium est, Augustinum saepe aliquomodo aequiparare justitiam cum vita bona, cum observatione mandatorum.[6] Attamen nec minus certum est, in illis locis haberi potius descriptionem quam definitionem, eosque per se solos non adaequate exprimere ejus mentem. Alibi enim clare loquitur de aliqua justitia, quae actibus justis praesupponitur. Sic jam ante episcopatum in Expositione quarundam propositionum ex Epistola ad Romanos, „Quod autem ait, qui justificat impium (4, 5), hoc est ex impio pium facit, ut de cetero in ipsa pietate permaneat atque justitia, quia ideo justificatus est ut justus sit, non ut peccare sibi licere arbitretur."[7] Clarius in tractatu Ad Simplicianum: „Non enim ut ferveat calefacit ignis, sed quia fervet; nec ideo bene currit rota ut rotunda sit, sed quia rotunda est: sic nemo propterea bene operatur ut accipiat gratiam, sed quia accepit. Quomodo enim potest juste vivere, qui non fuerit justificatus? quomodo sancte vivere, qui non fuerit sanctificatus? vel omnino vivere, qui non fuerit vivificatus? Justificat autem gratia, ut justificatus possit vivere juste. Prima est igitur gratia, secunda bona opera . . ."[8]

Postea, vigente jam controversia pelagiana, in De spiritu et littera: „. . . sic intelligendum est, factores legis justificabuntur, ut sciamus eos aliter non esse factores legis, nisi justificentur: ut non justificatio factoribus accedat, sed ut factores justificatio praecedat. Quid est enim aliud justificati, quam justi facti, ab illo scilicet qui justificat impium, ut ex impio fiat justus?"[9] Similiter in aliis textibus ex eodem tempore.[10]

Exinde habetur: sicut rotunditas rotae praesupponitur ad cur-

---

cae (Romae 1930), 223—240 (236 sq. amplior bibliographia); Dumont in RvSR 11 (1931), 513—542; 12 (1932), 29—55; 194—219.

[6] Cf. supra, p. 51 sq.; 54 sq.

[7] Prop. 22. ML 35, 2066 sq.

[8] Ad Simplic. I, q. 2, n. 3. ML 40, 113. Cf. De div. quaest. 83, q. 76, n. 1. l. c., 88.

[9] De spir. et litt., c. 26, n. 45. ML 44, 228: CSEL 60, 199, 7—12. Ib., c. 28, n. 48 (ML 44, 230. CSEL 60, 202, 12—209, 9) lex scripta in cordibus videtur aliquid permanens significare; cf. c. 21, n. 36. ML 44, 222. CSEL 60, 189, 9—190, 6.

[10] De pecc. mer. II, c. 17, n. 27. ML 44, 168: CSEL 60, 100, 15—17; C. duas epist. Pelag. III, c. 2, n. 2. l. c., 587 sq. CSEL 60, 486, 11—487, 4; Op. imp. c. Jul. II, c. 165. ML 45, 1212. Cf. etiam En. 2 in Ps. 30, Serm. 2, n. 2. ML 36, 240; En. 2 in Ps. 31, n. 6. l. c., 261 sq.; En. in Ps. 109, n. 1. ML 37, 1446; in Ps. 142, n. 5. l. c., 1848.

sum, sicut fervor ignis ad calefactionem, sicut vita (= principium vitale) ad vivendum (= operationes vitales), sic justitia praesupponitur ad opera justa. Si alibi „justitia“ significat ipsa opera, hoc facile intelligitur ex diversa suppositione ejusdem vocabuli, sicut nunc theologi loquuntur de prima et secunda justificatione, et sicut ipse Augustinus explicat in En. in Ps. 118, ubi ostendit, justitiam sumi pro virtute et pro opere virtutis, et concludit: „Quis enim facit in homine justitiam, nisi qui justificat impium, hoc est, per gratiam suam ex impio facit justum? Unde ait Apostolus: Justificati gratis per gratiam ipsius (Rom. 3, 24). Facit ergo justitiam, id est opus justitiae, qui habet in se justitiam, id est opus gratiae.“[11]

§ 2. De natura justitiae, quae actus praecedit

Quid est illa justitia, quam homo justificatus habet jam antequam juste operetur?

a) Non est sola remissio peccatorum; jam vidimus, quam fortiter Augustinus rejiciat hanc Pelagianorum sententiam.[12]

b) Estne caritas infusa, quae constituit aliud elementum justificationis? Si hoc admittitur, inde jam sequitur, caritatem esse aliquid plus quam „augmentum virium moralium“,[13] nam per tale augmentum homo non constitueretur justus; si S. Augustinus rem consideraret sub aspectu mere morali, dicendum esset, hominem per caritatem esse capacem justitiae, nondum autem justum. Certe haec justitia intime connectitur cum caritate, quia caritas est „bona voluntas“,[14] quia ex caritate omnes virtutes oriuntur;[15] sed tunc ista bona voluntas non est concipienda ut actus, sed ut aliqua dispositio permanens.

c) Estne fortasse bona consuetudo acquisita per actus justitiae? Hoc admitti nequit, idque multiplici ratione. Primo, quia haec justitia supponitur cuilibet actui bono: „Non enim ex impio juste viveres, nisi ab illo justus factus, qui justificat impium.“[16] Prius debet homo esse arbor bona, antequam

---

[11] En in Ps. 118, Serm. 26, n. 1. ML 37, 1577.
[12] Supra, p. 53. Cf. etiam Rivière in DTC VIII, 2103—2105.
[13] Supra, p. 56, nota 3.
[14] De gr. Christi, c. 21, n. 22. ML 44, 370 sq. CSEL 42, 142, 9—18; cf. Ep. 155, n. 13. ML 33, 672. CSEL 44, 443, 21—444, 1.
[15] Supra, p. 54.
[16] En. in Ps. 142, n. 5. ML 37, 1848.

possit facere fructus bonos. „Unde si duae arbores, bona et mala, duo sunt homines, bonus et malus, quid est bonus homo, nisi voluntatis bonae, hoc est arbor radicis bonae? et quid est homo malus, nisi voluntatis malae, hoc est, arbor radicis malae? Fructus autem harum radicum atque arborum facta sunt, dicta sunt, cogitata sunt, quae bona de bona voluntate procedunt, et mala de mala. Facit autem homo arborem bonam, quando Dei accipit gratiam. Non enim se ex malo bonum per se ipsum facit; sed ex illo et per illum et in illo qui semper est bonus: nec tantum ut arbor sit bona, sed etiam ut faciat fructus bonos, eadem gratia necessarium est ut adjuvetur, sine qua boni aliquid facere non potest.“[17] Secundo, haec justitia habetur in instanti justificationis, ut ex omnibus supra expositis patet, dum consuetudo non acquiratur nisi paulatim; tertio, habetur etiam in parvulis baptizatis: „Imitantur quidem Adam, quotquot per inoboedientiam transgrediuntur mandatum Dei; sed aliud est quod exemplum est voluntate peccantibus, aliud quod origo est cum peccato nascentibus. Nam et Christum imitantur sancti ejus ad sequendam justitiam. Unde et idem Apostolus dicit: Imitatores mei estote, sicut et ego Christi (1. Cor. 11, 1). Sed praeter hanc imitationem, gratia ejus illuminationem justificationemque nostram etiam intrinsecus operatur, illo opere, de quo idem praedicator ejus dicit: Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus (ib., 3, 7). Hac enim gratia baptizatos quoque parvulos suo inserit corpori, qui certe imitari aliquem nondum valent. Sicut ergo ille, in quo omnes vivificantur, praeter quod se ad justitiam exemplum imitantibus praebuit, dat etiam sui Spiritus occultissimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit et parvulis, sic et ille in quo omnes moriuntur, praeter quod eis qui praeceptum Domini voluntate transgrediuntur, imitationis exemplum est, occulta etiam tabe carnalis concupiscentiae suae tabificavit in se omnes de sua stirpe viventes.“[18]

In hoc textu distinguitur duplex peccatum: unum quod est actus voluntatis, alterum, quod est aliquis status (hodie diceremus: peccatum habituale), et similiter justitia actionum („imitatio“) et

---

[17] De gr. Christi, c. 18, n. 19; c. 19, n. 20. ML 44, 370. CSEL 42, 140, 23—141, 6. In hunc locum cf. Mausbach II, 242—244.

[18] De pecc. mer. I, c. 9, n. 10. ML 44, 114 sq. CSEL 60, 11, 4—20. Cf. ib., n. 11. ML 44, 115 sq. CSEL 60, 12, 9—13, 7.

[19] Cf. Op. imp. c. Jul. II, c. 101. 203; III, c. 49; V, c. 64; VI, c. 22. ML 45, 1182. 1228. 1270. 1506. 1554

alia „justificatio et illuminatio“, quam gratia operatur intrinsecus, etiam in parvulis.[19]

d) Haec justificatio non consistit mere negative in remissione peccatorum, sed est quaedam vivificatio, s a n c t i f i c a t i o, pro qua in scriptis antipelagianis Augustinus cum praedilectione citat textum s. Cypriani: „Dicimus, sanctificetur nomen tuum ... quia ipse dixit: Sancti estote, quoniam et ego sanctus sum (Lev. 19, 2); id petimus et rogamus, ut qui in baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse coepimus, perseveremus.“[20] „... ut sanctificatio et vivificatio, quae de Dei gratia sumitur, ipsius protectione servetur.“[21] Idem pluries repetit in sermonibus de oratione dominica ad Competentes.[22] Haec sanctitas non est aliqua consecratio mere passiva, sed dat vires activas: „Quoniam non est sanctus, sicut Dominus; et non est justus (Vulg. fortis) sicut Deus noster (1. Reg. [Sam.] 2, 2), tamquam sanctus et sanctificans, justus et justificans. ‚Non est sanctus praeter te‘, quia nemo fit nisi abs te.“[23] „Cum enim Dominus possidere nos coeperit, profecto adversarius qui noster fuerat ipsius fit et vincitur a nobis, sed non viribus nostris; quia non in virtute potens est vir. Dominus ergo infirmum faciet adversarium suum, Dominus sanctus, ut vincatur a sanctis, quos Dominus sanctus sanctorum effecit (al. efficit) sanctos.“[24] Est igitur haec sanctitas aliqua qualitas inhaerens homini, simul autem activa, radix actionum. Estne forte identificanda cum caritate? Certe includit caritatem; sed simul cum caritate habetur aliud donum permanens, nempe *e)* i n h a b i t a t i o S p i r i t u s S a n c t i, cujus effectus est caritas;[25]

---

[20] C. duas epist. Pelag. IV, c. 9, n. 25. ML 44, 626. CSEL 60, 549, 17—25; De corr. et gr., c. 6, n. 10. ML 44, 922 sq.; De dono persev., c. 2, n. 4. ML 45, 996 sq.

[21] De dono persev., c. 2, n. 4. ML 45, 997.

[22] Serm. 57, n. 4; 58, n. 3; 59, n. 3. ML 38, 387. 394. 400.

[23] De Civ. Dei XVII, c. 4, n. 3. ML 41, 528. CSEL 40 II, 213, 3—6.

[24] L. c., n. 7. ML 41, 531. CSEL 40 II, 217, 1—7. Cf. etiam En. in Ps. 85, n. 4. ML 37, 1084 sq.; De gr. et lib. arb., c. 14, n. 30. ML 44, 899, etc.

[25] In Jo., tr. 19, n. 12. ML 35, 1550; En. in Ps. 149, n. 4. ML 37, 1951; Serm. 161, n. 6. ML 38, 881; Serm. 163, n. 1. l. c., 889; Serm. 378. ML 39, 1673; Ep. 194, c. 3, n. 11. ML 33, 878. CSEL 57, 185, 1—15; ib., c. 4, n. 18. ML 33, 880. CSEL 57, 189, 23—190, 11; De spir. et litt., c. 3, n. 5. ML 44, 203. CSEL 60, 157, 10—19; ib., c. 32, n. 56. ML 44, 237. CSEL 60, 215, 5—15; De gr. Christi, c. 30, n. 31. ML 44, 375. CSEL 42, 149, 14—28; De perf. justitiae, c. 20, n. 43. ML 44, 310. CSEL 42, 46, 20—26; De Trin. VII, c. 3, n. 5 sq.; XV, c. 18, n. 32. ML 42, 938 sq. 1083; C. Jul. V, c. 8, n. 32. ML 44, 804; Op. imp. c. Jul. III, c. 106 sq. ML 45, 1291 sq., etc.

„aliter ergo replet sanctificante gratia, sicut quosdam sanctos; aliter attestante atque ordinante praesentia, sicut omnia.“[26] Sed licet non omnibus justis detur tali plenitudine, ut eos replere dici possit; omnibus tamen in justificatione ita datur, ut in eis inhabitet, etiam in infantibus baptizatis: „Dicimus ergo in baptizatis parvulis, quamvis id nesciant, habitare Spiritum Sanctum. Sic enim eum nesciunt quamvis sit in eis, quemadmodum nesciunt et mentem suam; cujus in eis ratio, qua uti nondum possunt, velut quaedam scintilla sopita est, excitanda aetatis accessu. Neque hoc in parvulis mirum debet videri, cum Apostolus quibusdam etiam majoribus dicat: Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis (1. Cor. 3, 16)? ... Habitare autem ideo et in talibus dicitur, quia in eis occulte agit, ut sint templum ejus; idque in proficientibus et proficiendo perseverantibus perficit.“[27]

Specialis ista inhabitatio Dei non potest esse sine aliquo effectu creato; secus non posset esse in aliis major, in aliis minor, dum econtra constat, alios aliis sanctiores esse.[28] Hic effectus certe est permanens, est aliqua forma: „Quae natura in rebus creatis excellentissima, cum a suo Creatore ab impietate justificatur, a deformi forma formosam transfertur in formam.“[29] Etiamsi dicatur, in hac metaphora non nimis insistendum esse, certo tamen utrimque habetur aliquis status permanens: status deformitatis, peccati, et status spiritualis pulchritudinis, justitiae.

Colligamus quae hucusquae ostensa sunt: „Justitia“ est aliquid distinctum ab actibus, quod est in homine priusquam juste operetur. Non est sola remissio peccatorum, sed includit aliquam interiorem regenerationem,[30] renovationem, sanctificationem, ad

---

[26] Ad Simpl. II, q. 1. n. 5. ML 40, 133. Cf. Ep. 187, c. 5, n. 16. ML 33, 837 sq. CSEL 57, 93, 18—94, 18.

[27] Ep. 187, c. 8, n. 26 sq. ML 33, 841 sq. CSEL 57, 103, 13—104, 8. Cf. Op. imp. c. Jul. II, c. 146. ML 45, 1202; Retr. I, c. 26, q. 35. ML 32, 625. CSEL 36, 119, 6—11.

[28] Ep. 187, c. 5, n. 16 sq. ML 33, 837 sq. CSEL 57, 93, 18—96, 2.

[29] De Trin. XV, c. 8, n. 14. ML 42, 1068.

[30] Haec regeneratio fit in ipso baptismate; frequenter enim tribuitur etiam parvulis: De Civ. Dei XVI, c. 27. ML 41, 506. CSEL 40 II, 175, 28—176, 4; De pecc. mer. III, c. 2, n. 2. ML 44, 187. CSEL 60, 130, 15—24; Op. imp. c. Jul. II, c. 98—101. ML 45, 1180—1182. In adultis quoque ita describitur, ut fiat in ipso instanti baptismi: Serm. 216, n. 8. ML 38, 1081; C. Jul. II, c. 8, n. 22. ML 44, 689; De Civ. Dei XIII, c. 7. ML 41, 381. CSEL 40 I, 622, 21—623, 19. Unde non exacte dicitur, regenerationem consistere in progressiva sanatione concupiscentiae (supra, p. 56, nota 2). Secundum Retr. I, c. 13, n. 5 (ML 32, 604. CSEL 36, 61, 4—9) videtur sola remissione peccatorum constitui. Difficile

quam pertinet caritas, quae sua vice est effectus praesentiae Dei, inhabitationis Spiritus Sancti. Certo igitur habetur aliquod donum infusum, permanens, ex quo emanant actus boni. Utrum praeter caritatem adsit aliud donum creatum (quod corresponderet nostrae „gratiae habituali"), determinari vix potest.[31]

Alia quaestio nunc examinanda venit, eaque maximi momenti: estne hoc donum aliquod complementum, aliqua restitutio naturae vulneratae, an est elevans ad ordinem altiorem? Ad hoc problema dilucidandum, inquiramus in habitudinem hujus nostrae justitiae ad justitiam protoparentum et angelorum.

§ 3. De justitia nostra, comparata cum justitia protoparentum

Justitia nostra aliqualis restitutio justitiae originalis est. „Quomodo ergo, inquit, renovari dicimur, si non hoc recipimus, quod perdidit primus homo, in quo omnes moriuntur? Hoc plane recipimus secundum quemdam modum, et non hoc recipimus secundum quemdam modum. Non itaque immortalitatem spiritualis cordis recipimus, quam nondum habuit homo; sed recipimus justitiam, ex qua per peccatum lapsus est homo... Renovamur (al. renovabimur) ergo spiritu mentis nostrae (Eph. 4, 23) secundum imaginem ejus qui creavit nos, quam peccando Adam perdidit. Renovabimur autem etiam carne, cum hoc corruptibile induetur incorruptione ... (al. induet incorruptionem)..."[32]

---

tamen concipitur aliqua generatio sine termino positivo; et cum Augustinus alibi praeter remissionem peccati originalis etiam adoptionem tribuat parvulis (C. duas epist. Pelag. II, c. 6, n. 11; c. 7, n. 16. ML 44, 578. 583. CSEL 60, 471, 4—12. 478, 15—24; Op. imp. c. Jul. II, c. 127 (verba Juliani!); III, c. 149. ML 45, 1195. 1308), potius dicendum est, hic negari solos actus fidei et caritatis et de cetero rem non ulterius explicari. Cf. supra, p. 59, nota 19.

[31] Nec mirum, cum etiam apud scholasticos de hac re fuerint magnae difficultates (cf. Landgraf, Die Erkenntnis der heiligmachenden Gnade in der Frühscholastik, in Scholastik 3 (1928), 28—64), atque etiam hodie sint controversiae inter theologos de distinctione gratiae et caritatis.

[32] De Gen. ad litt. VI, c. 24, n. 35. ML 34, 353 sq. CSEL 28 I, 196, 13—197, 2. Cf. Retr. II, c. 24, n. 2: „In sexto libro quod dixi, Adam imaginem Dei, secundum quam factus est, perdidisse (al. perdidit) peccato, non sic accipiendum est, tamquam in eo nulla remanserit, sed quod tam deformis, ut reformatione opus haberet." ML 32, 640. CSEL 36, 160, 10—13. Haec correctio non negat amissionem justitiae, sed eo tamtummodo insistit, quod etiam in peccatore aliqua Dei similitudo adhuc reperiatur. Cf. l. c. etiam sequentia: c. 24, n. 36—c. 28, n. 39. ML 34, 354—356. CSEL 28 I, 197, 2—200, 9.

Quid est ergo illa „justitia, ex qua per peccatum lapsus est homo?“ Est status perfectae rectitudinis, in quo mens subdebatur Deo, corpus menti,[33] proinde status plenae harmoniae, summae tranquillitatis et magnae felicitatis[34] — sed haec omnia non erat homini naturalia,[35] verum Dei gratia praestita; ex hac gratia cetera dona promanabant, quae constituebant illum „statum mirabilem“.[36] Ante peccatum protoparentes non cognoverunt, „quid eis indumento gratiae praestaretur, quando membra eorum voluntati repugnare nesciebant. Qua gratia remota, ut poena reciproca inoboedientia plecteretur, exstitit in motu corporis quaedam impudens novitas, unde esset indecens nuditas . . .“[37] „. . . mox ut ergo praeceptum transgressi sunt, intrinsecus gratia deserente omnino nudati . . . in sua membra oculos injecerunt, eaque motu eo quem non noverant, concupiverunt.“[38] „Quid est gustato cibo prohibito nuditas indicata, nisi peccato nudatum quod gratia contegebat? Gratia quippe Dei magna ibi erat, ubi terrenum et animale corpus bestialem libidinem non habebat. Qui ergo vestitus gratia non habebat in nudo corpore quod puderet, spoliatus gratia sensit quod operire deberet.“[39]

Jam ergo constat, in complexu justitiae originalis fuisse gratiam, inter cujus effectus praesertim extollitur subjectio corporis seu absentia concupiscentiae. Praeterea, etiam tunc ad merendum necessaria erat gratia.[40] Si haec asserta explicita et clara prae oculis habentur, inde etiam illustrantur textus sicut sequens: „. . . tota ejus (scil. hominis) actio bona est converti ad eum a quo factus est, et ab eo justus, pius, sapiens, beatusque semper fieri . . . Eo quippe

---

[33] De pecc. mer. II, c. 22, n. 36. ML 44, 172. CSEL 60, 107, 18—24. Alios locos vide apud Kors 7—15; Portalié in DTC I, 2393; A. Michel in DTC VIII, 2031—2033.

[34] De Civ. Dei XIV, c. 26. ML 41, 434. CSEL 40 II, 53, 10—54, 12.

[35] Cf. Mausbach II, 58sq.; 113—117. Quo sensu ille status interdum ab Augustino vocetur naturalis, vide: Mausbach II, 100—112; Gilson 184—186 (ed. germanica 254—257); Boyer, De Deo Creante, 266—269; Cayré I, 661; Merlin 347—349; 429—432.

[36] De Gen. ad litt. XI, c. 32, n. 42. ML 34, 446. CSEL 28 I, 365, 26.

[37] De Civ. Dei XIV, c. 17. ML 41, 425. CSEL 40 II, 39, 13—17; cf. ib.. XIII, c. 13. ML 41, 386. CSEL 40 I, 631, 15—632, 3.

[38] De Gen. ad litt. XI, c. 31, n. 41. ML 34, 446. CSEL 28 I, 365, 19—23; cf. ib., n. 42. ML 34, 446sq. CSEL 28 I, 365, 25—366, 16.

[39] C. Jul. IV, c. 16, n. 82. ML 44, 781. Cf. De pecc. mer. I, c. 16, n, 21. ML 44, 120. CSEL 60, 20, 25—21, 4; De corr. et gr., c. 11, n. 29—31. ML 44, 933—935; De consensu Evang. II, c. 4, n. 11. ML 34, 1076. CSEL 43, 93, 4—8.

[40] Enchir., c. 106, n. 28. ML 40, 282.

ipso cum ab illo non discedit, ejus ipse (al. sibi) praesentia justificatur, et illuminatur, et beatificatur, operante et custodiente Deo, cundum oboedienti subjectoque dominatur."[41] In hoc textu (ubi secundum contextum sermo est de primo homine, saltem praecipue), nulla quidem mentio fit gratiae, sed ex locis supra citatis jam patet, illam „justitiam" gratiae tribuendam esse;[42] perperam proinde illa „justificatio" et „illuminatio" intelligeretur sensu mere morali vel metaphysico, de naturali participatione bonitatis divinae. Idem dixeris de loco sequenti: „Et quid eam (scil. animam) faciet beatam, nisi meritum suum et praemium Domini sui? Sed et meritum ejus gratia est illius, cujus praemium erit beatitudo ejus. Justitiam quippe dare sibi non potest quam perditam non habet. Hanc enim, cum homo conderetur, accepit; et peccando utique perdidit. Accipit ergo justitiam, propter quam beatitudinem accipere mereatur. Unde veraciter ei dicitur ad Apostolo, quasi de suo bono superbire incipienti: Quid enim habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?" (1. Cor. 4, 7).[43] Nonne totus tenor hujus loci exigit, ut intelligatur: homo, cum conderetur, justitiam g r a t i s accepit, sicut nunc in justificatione g r a t i s accipit? Vel permitteretur Adae, ut gloriaretur de justitia, quam non gratis, sed ex debito accepisset?[44]

Tenemus jam demonstratum, in justitia originali contineri donum indebitum. Fuitne merum adjutorium transiens, an donum permanens? Certe includitur etiam aliquod donum permanens; secus Augustinus non posset loqui de „indumento gratiae"[45] et de „imagine impressa", de „signaculo imaginis".[46] Majoris autem ponderis quam hae metaphorae est, quod primo homini tribuit caritatem: (in paradiso) „gaudium verum perpetuabatur ex Deo,

---

[41] De Gen. ad litt. VIII, c. 12, n. 25. ML 34, 382 sq. CSEL 28 I, 249, 12—22. Cf. ib., c. 10, n. 23; c. 11, n. 24. ML 34, 381 sq. CSEL 28 I, 247, 10—249, 9; De Trin. XIV, c. 16, n. 22. ML 42, 1053; Ep. 140, c. 29, n. 70. ML 33, 569. CSEL 44, 218, 1—8.

[42] Non oportet hic intrare in quaestionem subtiliorem, utrum gratia fuerit identica cum justitia originali an ejus causa, realiter distincta ab effectu (cf. K o r s 14 sq.; bibliographiam de hac quaestione vide: DTC VIII, 2042 (art. Justice originelle); B o y e r, De Deo Creante 331; Revue des sciences philosophiques et théologiques, sub voce Justice originelle, inde ab anno 1921). Nobis sufficit, justitiam originalem complexive sumptam naturae indebitam fuisse.

[43] De Trin. XIV, c. 15, n. 21. ML 42, 1051 sq.

[44] Cf. D e n z i n g e r 1021.

[45] Cf. supra, p. 63, nota 37—39.

[46] De Gen. ad litt. VI, c. 27, n. 38. ML 34, 355. CSEL 28 I, 199, 1 sq.; De div. quaest. 83, q. 67, n. 4. ML 40, 67.

in quem flagrabat caritas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta“ (1. Tim. 1, 5);[47] sed caritatem in angelis appellat nomine gratiae;[48] praeterea caritas connectitur intime cum inhabitatione Spiritus Sancti, ut supra vidimus,[49] quae ideo pari ratione etiam protoparentibus tribuenda est. Hoc quidem non explicite docet,[50] sed vocabula, quae praefert, haec sunt: „Deus fecerat hominem rectum“,[51] et „fecerat hominem bonae voluntatis“.[52] Si ergo Adam quando creatus est, jam erat rectus, jam erat bonae voluntatis, consequens est, ut haec „rectitudo“ sit aliquis status, aliqua qualitas mentis ejus, non sola series actuum — sicut supra ostendimus de nostra „justitia“.[53] Porro haec rectitudo erat caritas, erat gratia, vel saltem ex gratia; gratia autem gratis datur.[54] Notatu etiam dignum est, S. Doctorem voce „gratiae“ uti non una vel altera vice, sed fere semper, quando ex professo describit statum justitiae originalis. Ideo legitime concluditur, justitiam originalem fuisse aliquam vitam animae, indebitam etiam homini innocenti. Sed eratne forte debita aliis creaturis rationalibus, angelis, vel simpliciter indebita cuilibet creaturae? Haec quaestio nunc remanet solvenda.

§ 4. De justitia nostra, comparata cum justitia angelorum[55]

De sanctificatione angelorum Augustinus prima vice ex professo agit in Confessionibus, ubi res fere ita exhibetur: Angelica creatura est illa sapientia, quae prior omnium creata est (Eccli. 1, 4), est mens rationalis et intellectualis, jam aliqua vita;

---

[47] De Civ. Dei XIV, c. 26. ML 41, 434. CSEL 40 II, 53, 24—26.

[48] Ib., XII, c. 9, n. 2. ML 41, 357. CSEL 40 I, 580, 11—581, 9.

[49] Supra, p. 60 sq.

[50] Implicite tamen hoc habet De Civ. Dei XIII, si conferantur inter se: c. 2, c. 12, c. 24. (ML 41, 377 sq. 385 sq. 402 sq. CSEL 40 I, 615, 15—617, 7. 630, 19—631, 11. 659, 18—660, 12.)

[51] De corr. et gr., c. 6, n. 9; c. 11, n. 32; c. 12, n. 34. ML 44, 921. 935. 937.

[52] De corr. et gr., c. 11, n. 32. ML 44, 935; De Civ. Dei XIV, c. 11. ML 41, 418. CSEL 40 II, 27, 6—9. Haec „bona voluntas“ identificatur cum caritate (ib. XII, c. 9, n. 2. ML 41, 357. CSEL 40 I, 580, 11—581, 4); cf. supra, p. 58.

[53] Certe gratia, quae includitur in toto complexu justitiae originalis, interdum etiam significat auxilium transiens (cf. v. g. Enchir., c. 106. ML 40, 282; Ep. 186, c. 11, n. 37. ML 33, 830. CSEL 57, 77, 9—13; De corr. et gr., c. 11, n. 32; c. 12, n. 34. ML 44, 935. 937; De nat. et gr., c. 48, n. 56. ML 44, 274. CSEL 60, 274, 9—17), sed non exclusive, ut ostendunt alii loci supra citati.

[54] En. 2 in Ps. 18, n. 2. ML 36, 158; Serm. 224, n. 1. ML 38, 1094, et alibi passim, ubi explicat Rom. 11, 6.

[55] Cf. Gardeil I, 155—204; Philips 200—204.

sed tamen quodammodo informis, tenebrosa, Deo dissimilis esset, nisi praeter istam vitam aliud donum per gratiam Dei acciperet, quo illuminaretur et formaretur. Vi hujus doni „contemplatione luminis lumen est“, in melius commutata, Deo conformis, Deo adhaeret amore casto, sapienter et beate vivit, particeps aeternitatis Dei non deflectit ab eo.[56] Hoc donum est indebitum sicut ipsa creatio,[57] collatum est in ipso momento creationis: „. . . sursum imus ad pacem Jerusalem, quoniam jucundatus sum in his qui dixerunt mihi: In domum Domini ibimus (Ps. 121, 1). Ibi nos collocabit (al. collocavit) voluntas bona, ut nihil velimus aliud quam permanere illic in aeternum. — Beata creatura quae non novit aliud, cum esset ipsa aliud, nisi dono tuo quod superfertur super omne mutabile, mox ut facta est, attolleretur nullo intervallo temporis in ea vocatione qua dixisti, Fiat lux, et fieret lux (Gen. 1, 3). In nobis enim distinguitur tempore, quod tenebrae fuimus, et lux efficimur (Ep. 5, 8); in illa vero dictum est quid esset, nisi illuminaretur; et ita dictum est, quasi prius fuerit fluxa et tenebrosa; ut appareret causa qua factum est ut aliter esset, id est, ut ad lumen indeficiens conversa lux esset. Qui potest, intelligat; et qui non potest, a te petat. Utquid mihi molestus est, quasi ego illuminem ullum hominem venientem in hunc mundum?“ (Jo. 1, 9).[58]

Sicut ultima verba jam satis innuunt, haec doctrina nondum est perfecta nec omnino clara. Nondum enim distinguitur donum angelis in ipsa creatione collatum a confirmatione in sua beatitudine. Proinde obscurum pariter manet, quid intelligatur per tenebras et informitatem: utrum ipsa naturalis conditio angelicae creaturae, si sibi relinqueretur, inferior illo statu illuminationis — an mutabilitas et instabilitas creaturae, quae se potest a Deo avertere.[59]

Sed certum est, haberi aliquem p a r a l l e l i s m u m i n t e r j u s t i f i c a t i o n e m h o m i n u m e t „i l l u m i n a t i o n e m“

---

[56] Conf. XII, c. 15, n. 19—21. ML 32, 833. CSEL 33, 322, 1—324, 3; XIII, c. 2, n. 2—c. 4, n. 5. ML 32, 845—847. CSEL 33, 345, 17—348, 14; ib., c. 9, n. 10; c. 10, n. 11. ML 32, 849. CSEL 33, 351, 8—352, 18.

[57] Ib., c. 2, n. 2—c. 3, n. 4. ML 32, 845 sq. CSEL 33, 345, 17—347, 19.

[58] Ib., c. 9, n. 10 sq. ML 32, 849. CSEL 33, 352, 4—18, ubi omittuntur verba „et qui non potest“.

[59] G a r d e i l I, 200—204 intelligit per „naturam rationalem informem“ non completam naturam carentem illo dono divino, sed materiam spiritualem, quae, secundum Augustinum, simul in suo ordine compleretur et aliquo dono altiore elevaretur. De hac opinione non disputamus, quia sustinet id quod essentiale est, quamvis difficultates contra eam moveri possint.

angelorum; praeterea, hanc includere adhaesionem ad Deum per amorem castum.

In De Genesi ad litteram plus minusve idem habetur, v. g. „Non enim habet informen vitam Verbum Filius, cui non solum hoc est esse quod vivere, sed etiam hoc est (ei) vivere, quod est sapienter ac beate vivere. Creatura vero, quamquam spiritualis et intellectualis, vel rationalis, quae videtur esse illi Verbo propinquior, potest habere informam vitam; quia non sicut hoc est ei esse quod vivere; ita hoc vivere quod sapienter ac beate vivere. Aversa enim a sapientia incommutabili, stulte ac misere vivit, quae informitas (ejus) est. Formatur autem conversa ad incommutabile lumen Sapientiae, Verbum Dei . . .“[60] Praeter hanc „formationem“ loquitur etiam de illuminatione, sed in genere adhuc brevius et obscurius quam in Confessionibus; tamen notatu dignum est, quomodo insistat in caritate; lux qua illuminatur spiritualis creatura, est „quaedam luculentae rationis affectio“;[61] pura caritate inhaeret Verbo Dei.[62]

Praeterea, quod adhuc majoris momenti est, jam ex professo tractat de casu diaboli, qua occassione distinguit inter conditionem bonorum angelorum ante et post probationem. Caritas et „perversus sui amor privatus“ separaverunt inter angelos bonos et malos, constituerunt duas civitates. Sed in quo statu fuerunt diabolus et angeli ejus ante lapsum? Certe diabolus non est creatus in malitia; ex altera parte non poterat esse beatus, sicut nunc beati sunt sancti angeli. Remanet ergo quadruplex hypothesis: vel statim ab initio creationis suae diabolus se avertit a Deo, vel fuit in quadam beatitudine inferiore, in qua tamen mereri potuisset beatitudinem perfectam, vel omnes angeli erant aequales et sine praescientia futurae perseverentiae resp. ruinae, vel erant aequales, sed boni angeli permansionis suae certi, diabolus et socii ejus futuri casus ignari.[63] Quaestionem sic positam hoc loco non decidit; secundam hypothesim parum probabilem judicat, quia ex Scriptura nihil habetur de tali duplici genere angelorum, sed animadvertit:

---

[60] De Gen. ad litt. I, c. 5, n. 10. ML 34, 249 sq. CSEL 28 I, 8, 22—9, 4. Cf. ib., c. 1, n. 3; c. 5, n. 11; c. 9, n. 15—17; c. 17, n. 32; II, c, 8, n. 16. n, 19; III, c. 20, n. 31; IV, c. 24, n. 41; c. 32, n. 49 sq.; c. 35, n. 56; V, c. 5, n. 13; c. 14, n. 32.

[61] Ib., I, c. 17, n. 32. ML 34, 258. CSEL 28 I, 24, 4 sq.

[62] Ib., IV, c. 32, n. 49. ML 34, 317. CSEL 28 I, 130, 10 sq.

[63] Ib., XI, c. 13, n. 17—c. 26, n. 33. ML 34, 436—443. CSEL 28 I, 345, 17—359, 23.

si ex tali inferiore conditione, in qua capacitas et spes erat merendi beatitudinem, diabolus cecidit cum sociis suis, „simile est hoc ei, quod cadunt a justitia fidei etiam homines, simili superbia praevaricati, vel seipsos seducentes, vel illi seductori consentientes.“[64] Sic quodammodo jam innuit aliquem „statum viae“ in angelis; hic est maximus progressus in explicatione.

Quaestiones, quas hac vice sine solutione reliquit, ulterius prosequitur et profundius examinat in libro nono, undecimo et duodecimo De Civitate Dei.[65] Ubi idea praedominans est: caritas discernit inter angelos bonos et malos; in daemonibus est scientia quaedam Dei et Christi, sed sine caritate, ideoque inflantur superbia; boni autem angeli sancto amore inardescunt, caritate Dei sanctificantur. Conversi ad Deum angeli sunt lux in Domino, aversi sunt in se ipsis tenebrae, privati participatione lucis aeternae (alludit ad Eph. 5, 8). Sed quomodo se averterunt? ita, ut numquam habe-rent, aut ita, ut amitterent illuminationem jam acceptam? „...nullo quidem modo secundum aliquod temporis spatium prius erant illi spiritus tenebrae, quos angelos dicimus, sed simul ut facti sunt, lux facti sunt: non tamen ita tantum creati, ut quoque modo essent, et quoquo modo viverent; sed etiam illuminati, ut sapienter beateque viverent. Ab hac illuminatione aversi quidam angeli, non obtinuerunt excellentiam sapientis beataeque vitae, quae procul dubio nonnisi aeterna est, aeternitatisque suae certa atque secura ...“[66] Jam ergo S. Doctor clare distinguit duplicem statum, unum, quem angeli mali amiserunt, alterum, ad quem non pervenerunt.[67]

Tandem absque metaphoris totam rem sic definit, postquam explicavit, voluntatis malae nullam causam efficientem quaerendam esse, bonae autem voluntatis causam Deum esse: „Et istam quis fecerat, nisi ille qui eos cum bona voluntate, id est cum amore casto quo illi adhaererent, creavit, simul eis et condens naturam, et largiens gratiam? Unde sine bona voluntate, hoc est Dei amore, nunquam sanctos Angelos fuisse, creden-

---

[64] Ib., XI, c. 19, n. 25. ML 34, 439. CSEL 28 I, 352, 3—7.

[65] De Civ. Dei IX, c. 20—23. ML 41, 273—276. CSEL 40 I, 437, 22—443, 23; XI, c. 9. 11—20. 32 sq. ML 41, 323—325. 327—333. 345—347. CSEL 40 I, 522, 22—525, 13. 528, 17—540, 16. 560, 11—564, 9; XII, c. 1—9. ML 41, 347—357. CSEL 40 I, 566, 1—581, 20.

[66] Ib., XI, c. 11. ML 41, 327. CSEL 40 I, 528, 22—529, 2.

[67] Eadem distinctio duplicis status: De corr. et gr., c. 10, n. 27; c. 11, n. 32. ML 44, 933. 935 sq.; in Enchir., c. 28 sq. (ML 40, 246) non adeo clare distinguit.

dum est. Isti autem, qui cum boni creati essent, tamen mali sunt, mala propria voluntate, quam bona natura non fecit, nisi cum a bono sponte defecit, ut mali causa non sit bonum, sed defectus a bono, aut minorem acceperunt amoris divini gratiam, quam illi qui in eadem perstiterunt; aut si utrique boni aequaliter creati sunt, istis mala voluntate cadentibus, illi amplius adjuti, ad eam beatitudinis plenitudinem, unde se nunquam casuros certissimi fierent, pervenerunt ...“[68] Ecce solutionem quaestionis: omnes angeli in ipso momenti creationis acceperunt praeter naturam suam etiam gratiam, caritatem divinam, qua sanctificabantur. Mali angeli sua culpa eam amiserunt, boni cum ea beatitudinis plenitudinem meruerunt.

Quid inde ad nostram quaestionem? Sanctificatio angelorum absque dubio est interna, quia nullum praecessit peccatum, quod nescio qua sanctificatione externa tegendum esset, et quia consistit in bona voluntate, quam caritas in eis facit. Sed sanctificatio hominum eodem omnino modo describitur; non solum, quod pro utraque applicatur textus Eph. 5, 8,[69] sed etiam in ipso loco citato Augustinus concludit: „Confitendum est igitur cum debita laude Creatoris, non ad solos sanctos homines pertinere, verum etiam de sanctis Angelis posse dici, quod caritas Dei diffusa sit in eis per Spiritum Sanctum, qui datus est eis (Rom. 5, 5); nec tantum hominum, sed primitus praecipueque Angelorum bonum esse, quod scriptum est: Mihi autem adhaerere Deo, bonum est (Ps. 72, 28). Hoc bonum quibus commune est, habent et cum illo cui adhaerent et inter se societatem sanctam, et sunt una civitas Dei, eademque vivum sacrificium ejus vivumque templum ejus.“[70] Jamvero sanctificatio angelorum non consistit in adeptione plenae beatitudinis, sed est aliquid praevium ad eam, sicut etiam justificatio hominis praecedit glorificationem; unde iterum confirmatur, justificationem et sanctificationem hominis esse intrinsecam.

Praeterea sanctificatio angelorum includit etiam aliquod donum permanens, quo creatura angelica „formatur“, „illuminatur“. Etiam „caritas“, „amoris divini gratia“, „amor castus, quo adhaeret Deo“ non possunt restringi ad merum actum voluntatis,

---

[68] De Civ. Dei XII, c. 9. ML 41, 357. CSEL 40 I, 580, 15—27.

[69] V. g. Conf XIII, c. 10, n. 11. ML 32, 849. CSEL 33, 352, 8—18; De Civ. Dei XI, c. 33. ML 41, 346. CSEL 40 I, 562, 1—23.

[70] De Civ. Dei XII, c. 9, n. 2. ML 41, 357. CSEL 40 I, 580, 28—581, 9. Cf. De Trin. IV, c. 20, n. 27. ML 42, 907.

sed significant statum aliquem, qui praecedit actum liberae electionis.[71]

Tandem, quod nunc maxime nostra interest, est aliquid gratis datum. Natura angelica non promeruerat ut crearetur, et cum creata esset, non meruit, ut illuminaretur,[72] sed bonae voluntati Dei, beneplacito divino, subjacebat.[73] Caritas Dei, quae per Spiritum Sanctum in angelis diffusa est, est gratia, distincta a natura.[74]

Si haec omnia colligamus, nonne omnino menti Augustini conformis apparet haec conclusio: donum illud permanens, quo homo justificatur[75] et sanctificatur, caritas Dei et inhabitatio Spiritus Sancti, est cuilibet creaturae, etiam innocenti, simpliciter indebitum?[76] Sed ut hoc adhuc evidentius appareat, consideremus ultimo loco effectus, quos illud donum in nobis producit, et praesertim effectum maxime sublimem, qui est deificatio nostra.

§ 5. De effectibus justificationis, praesertim de deificatione

Jam vidimus, quot egregios effectus justificatio habeat in homine: remissionem peccatorum, intrinsecam justitiam et sanctitatem, infusionem caritatis, inhabitationem Spiritus Sancti. Haec omnia non includi intra sphaeram moralitatis humanae, sed hominem elevare ad dignitatem altiorem, jam satis apparet; sed maxime patebit ex effectu excellentissimo, ex deificatione. Hic aspectus justificationis, Patribus Graecis valde familiaris, Augustino quoque notus est, licet minus in eo insistat: „Manifestum est ergo, quia homines dixit deos, ex gratia sua deificatos, non de substantia sua natos. Ille enim justificat, qui per semetipsum, non ex alio, justus est; et ille deificat, qui per seipsum, non alterius participatione, Deus est. Quiautemjustificat, ipsedeificat, quia justificando filios Dei facit. Dedit enim eis potestatem filios Dei fieri (Jo. 1, 12). Si filii Dei facti sumus, et dii

---

[71] Cf. Dumont in RvSR 11 (1931), 531—533. Unde idem confirmatur quoad Adam, cui pariter tribuuntur bona voluntas, caritas etc.

[72] Conf. XIII, c. 2, n. 3; c. 3, n. 4. ML 32, 845 sq. CSEL 33, 346, 11—347, 19.

[73] De Gen. ad litt. I, c. 5, n. 11. ML 34, 250. CSEL 28 I, 9, 14—10, 7.

[74] De Civ. Dei XII, c. 9, n. 2. ML 41, 357. CSEL 40 I, 580, 11—581, 9.

[75] Verum est, angelis non tribui explicite justificationem; sed hoc ideo fit, quia Augustinus per justificationem semper intelligit justificationem impii (cf. supra, p. 49—51); de cetero in effectibus est perfecta paritas, ut vidimus.

[76] Plura de hoc argumento vide apud Dumont in RvSR 11 (1931), 513—542; 12 (1932), 29—55; 194—219.

facti sumus; sed hoc gratiae est adoptantis, non naturae generantis. Unicus enim Dei Filius Deus et cum Patre unus Deus, Dominus et Salvator noster, Jesus Christus . . .“[77] De hac deificatione Augustinus intelligit textus Scripturae: Gen. 6, 1; Ps. 81, 6; Ps. 94, 3.[78]

Ipsa est filiatio divina, de qua loquitur praesertim Sacra Scriptura Novi Testamenti,[79] diversa a filiatione Christi, quae est naturae generantis, dum nostra est gratiae adoptantis: „Unicum enim Filium Deus habet, quem genuit de substantia sua, de quo dicitur: Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus esse aequalis Deo (Phil. 2, 6). Nos autem non de substantia sua genuit; creatura enim sumus, quam non genuit, sed fecit; et ideo, ut fratres Christi secundum modum nostrum (al. suum) faceret, adoptavit. Iste itaque modus, quo nos Deus, cum jam essemus ab ipso non nati, sed conditi et instituti, verbo suo et gratia sua genuit ut filii ejus essemus, adoptio vocatur. Unde Joannes dicit: Dedit eis potestatem filios Dei fieri (Jo. 1, 12)... Ipsum quippe habemus et Deum, et Dominum, et Patrem: Deum, quod ab ipso, etiam ex hominibus parentibus, conditi sumus; Dominum, quod ei subditi sumus; Patrem, quod ejus adoptione renati sumus.“[80]

Haec adoptio, sicut jam patet ex notione regenerationis, non est mere juridica,[81] sed implicat veram realem mutationem animae, ita ut homo deificatus quodammodo jam non sit homo, mutationem, quae non minus realis est quam mutatio corporis in resurrectione: „Omnis homo mendax (Ps. 115, 11). Non est ergo unde quisquam calumnietur et dicat mihi: Mentiar, quia homo sum. Dicam enim et ego fidentissime: Noli esse homo, ut non mentiaris. Ergo,

---

[77] En. in Ps. 49, n. 2. ML 36, 565.

[78] De Civ. Dei XV, c. 23, n. 3. ML 41, 469 sq. CSEL 40 II, 112, 16—113, 10; Serm. 81, n. 6. ML 38, 503; Serm. Guelf. 11, n. 3. MA I, 475, 21—29; En. in Ps. 94, n. 6. ML 37, 1220 sq.; in Ep. Jo., tr. 2, n. 14. ML 35, 1997.

[79] Jo. 1, 12; 1. Jo. 3, 1; Rom. 8, 14—17, etc. In Jo., tr. 2, n. 13—15. ML 35, 1394 sq.; Serm. 109, n. 5; 224, n. 1. ML 38, 675. 1093 sq.; Serm. 342, n. 5. ML 39, 1504; De consensu Evangel. II, c. 3, n. 6. ML 34, 1073 sq. CSEL 43, 86, 11—87, 24; En. in Ps. 37, n. 15. ML 36, 405; De perf. just., c. 18, n. 39. ML 44, 313. CSEL 42, 39, 22—41, 27; De gestis Pelag., c. 18, n. 42. ML 44, 345. CSEL 42, 97, 19—23; C. duas epist. Pelag. III, c. 3, n. 4 sq. ML 44, 589—591. CSEL 60, 488, 10—491, 26.

[80] C. Faustum III, c. 3. ML 42, 215 sq. CSEL 25 I, 264, 19—265, 16. Similiter: In Jo., tr. 82, n. 4. ML 35, 1844; Serm. 126, n. 9. ML 38, 702; C. serm. Arianorum, c. 27, n. 23. ML 42, 701 sq.; Coll. cum Maximino, n. 14. l. c., 720; De Civ. Dei XXI, c. 15. ML 41, 729. CSEL 40 II, 545, 15—25; Ep. 140, c. 4, n. 10. ML 33, 542. CSEL 44, 161, 24—162, 14, etc.

[81] Cf. Mausbach II, 117—134.

inquit, homo non ero? Non utique. Ut enim non sis homo, ad hoc vocatus es ab illo qui propter te factus est homo. Noli succensere. Non enim ita tibi dicitur ut homo non sis, ut pecus sis: sed ut sis inter eos quibus dedit potestatem filios Dei fieri. Deus enim deum te vult facere: non natura, sicut est ille quem genuit, sed dono suo et adoptione ... Noli esse Adam, et non eris homo. Si non homo, non utique mendax ... Et cum coeperis non mentiri, noli tibi tribuere et extolli, quasi ex tuo proprio: ne vento superbiae, tamquam lucerna quae aliunde accenditur, extinguaris, et remaneas rursus in mendacio tuo. Nolite ergo mentiri, fratres. Jam enim veteres homines eratis: accessistis ad gratiam Dei, facti estis homines novi. Mendacium ad Adam pertinet, veritas ad Christum. Deponentes ergo mendacium, loquimini veritatem, ut et caro ista mortalis quam adhuc habetis de Adamo, praecedente novitate spiritus, mereatur et ipsa innovationem et commutationem tempore resurrectionis suae: ac sic totus homo deificatus inhaereat perpetuae atque incommutabili veritati."[82]

Ut ex hac oppositione patet, deificatio nostra jam facta est, jam filii Dei sumus, etiamsi adhuc expectemus glorificationem corporis nostri. Sed objiciuntur alii textus, secundum quos filiatio divina in altera tantum vita expectanda esset,[83] et inde sic arguitur: Augustinus docet, in hac vita nos esse ex parte filios Dei, ex parte filios saeculi, imaginem Dei in nobis paulatim renovari, loquitur de reliquiis vetustatis, etc. Sed haec omnia non posset dicere, si admitteret infusionem alicujus novi principii vitalis, quo in instanti efficimur deiformes. Ergo ejus doctrina aliter concipienda est, scil. mere moraliter: homo per auxilium gratiae sanantis paulatim subjicit concupiscentiam, et in quantum hoc facit, est filius Dei, vivit secundum Deum; in quantum adhuc habet concupiscentiam, est filius saeculi. In resurrectione jam non erit concupiscentia, ideoque tunc totus erit filius Dei, natura sua sanata et restituta; sed nihil de infusione alicujus doni superioris, totum manet intra sphaeram moralem, in ambitu speculationis neoplatonicae — et sic evertitur tota thesis hucusque stabilita.[84]

Essetne revera hic totus sensus verborum magnificorum, qui-

---

[82] Serm. 166, n. 3 sq. ML 38, 908 sq. Cf. Serm. 259, n. 3. ML 38, 1198. De textu citato haec habet De Blic: „Quelques traits de la fin du sermon orientent vaguement dans le sens d'une libération graduelle (?) de la chair, gage de l'immortalité future" (RchSR 17 [1927], 431).

[83] V. g. De pecc. mer. II, c. 24, n. 38. ML 44, 174. CSEL 60, 110, 18—25.

[84] Sic plus minusve De Blic, RchSR 17 (1927), 419—433.

bus S. Doctor extollit gratiam adoptionis et deificationis? Ergo tota deificatio tandem aliquando in eo consisteret, quod ex homine moraliter infirmo fieret homo sanus, capax attingendi finem suum naturalem?[85] Videamus, utrum in toto complexu idearum Augustini res aliter explicari possit, quin doctrina Doctoris Gratiae ad talem merum moralismum redigatur.

Supra vidimus, justificationem nostram esse restitutionem justitiae originalis.[86] Si hoc bene intelligitur, tenemus clavem solutionis. Etenim, justitia originalis complectebatur non solum rectitudinem voluntatis, sed etiam subjectionem concupiscentiae; in nobis autem statim restituitur id, quod essentiale est, nempe rectitudo voluntatis per caritatem, sed concupiscentia manet, et sub hoc respectu restitutio justitiae, renovatio hominis nondum est perfecta.

S. Augustinus considerat naturam et gratiam non speculative, sed historice et concrete. Duo ei sunt certa et inconcussa: 1. Adam acceperat gratiam et alia dona, omniaque perdidit, 2. per Christum haec omnia, immo majora, nobis restituuntur, sed successive, et complete nonnisi in resurrectione corporum. Quando ex professo et magis dogmatice quam polemice tractat de statu originali, quoad rem satis bene distinguit naturam et gratiam, sic in De Genesi ad litteram et De Civitate Dei; quando autem contra Pelagianos defendit necessitatem gratiae, ex una parte videt statum justitiae originalis complexive, ex altera parte statum hominis lapsi.[87] Non considerat hypothesim status naturae purae, ideoque ei impossibile est, ponere quaestiones de gratia elevante et sanante. Attamen haec omnia ex ejus principiis deduci possunt. Etenim, si Adam accepit gratiam (idem dic de angelis), haec gratia non poterat esse sanans; ergo conferebat aliquam dignitatem altiorem, ideoque erat elevans. Sed nos recipimus justitiam seu gratiam, quam Adam amisit; ergo recipimus illam gratiam, quam hodie dicimus elevantem.

Videamus nunc, quomodo hoc concilietur cum successiva illa renovatione hominis. Consideremus duo exempla, unum ex prioribus Augustini scriptis, alterum ex tempore controversiae pelagianae.

---

[85] „Ne serait-ce pas vider les mots de Saint Augustin de leur sens obvie que de traduire, par exemple ‚Deos illos fecit': en justifiant Dieu efface les péchés ...?" Dumont, RvSR 12 (1932), 55.

[86] Supra, p. 62.

[87] Vide v. g. De nat. et gr., c. 67, n. 81. ML 44. 288. CSEL 60, 296, 16—29.

In De diversis quaestionibus 83, q. 67,[88] Augustinus tractat de textu Rom. 8, 18—24, quem sic explicat: Vanitati creatura subjecta est, id est homo, qui signaculo imaginis propter peccatum amisso remansit tantummodo creatura (n. 3. 4.).[89] Haec vanitas complectitur omnes molestias, quibus subjectus est homo peccator, immo etiam homo justus, qui jam non est solummodo creatura, sed filius Dei per adoptionem (n. 1. 4). Dolet enim in nobis creatura, id est, id quod mortificare debemus, et expectat revelationem filiorum Dei. „Filii enim Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus autem quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. (1. Jo. 3, 2.) Ipsa est revelatio filiorum Dei, quam nunc expectat expectatio creaturae: non quod creatura revelationem expectet alterius naturae, quae non sit creatura; sed ipsa qualis nunc est, expectat quando sit qualis futura est: tamquam si diceretur, Operante pictore subjectis sibi coloribus et ad opus ejus paratis, expectatio colorum manifestationem imaginis expectat: non quia tunc sunt alii, et alii erunt;

---

[88] ML 40, 66—70.

[89] Cf. Retr. I, c. 26, q. 67. ML 32, 628. CSEL 36, 126, 13—127, 2: „Quod non ita est accipiendum, quasi totum amiserit homo, quod habebat imaginis Dei. Nam si omnino non amisisset, non esset, propter quod diceretur: Reformamini in novitate mentis vestrae (Rom. 12, 2) et: In eandem imaginem transformamur (2. Cor. 3, 18). Sed rursus, si totum amisisset, nihil maneret, unde diceretur: Quamquam in imagine ambulat homo, tamen vane conturbatur (Ps. 38, 7).“ Ex hac modificatione patet, incaute textum supra citatum a multis auctoribus adhiberi ad probandam amissionem similitudinis supernaturalis cum Deo, quae consistit in gratia. Nam si haec similitudo supernaturalis constitueret imaginem Dei, re vera tota imago Dei amissa esset. Ideo aliter res concipienda est: Quando Augustinus loquitur de imagine Dei, vel eam invenit in natura hominis rationali (cf. De Blic, RchSR 17 (1927), 417sq.), vel ita describit, ut exhibeat unitatem vitalem naturae et gratiae, non autem utriusque distinctionem. Ideo dicere potest, etiam in infidelibus aliqua lineamenta originalis imaginis Dei remansisse (De spir. et litt., c. 27, n. 47—c. 28, n. 49. ML 44, 229—231. CSEL 60, 201, 10—205, 2), imaginem Dei paulatim renovari in nobis (De Trin. XIV, c. 17, n. 23. ML 42, 1054), diversos habere gradus secundum caritatem, perfectissimum gradum in visione beata (Ep. 92, n. 3. ML 33, 319sq. CSEL 34 II, 438, 3—440, 2). Haec omnia non mere moralistice intelligenda esse de sanatione naturae vitiatae, jam ex eo patet, quod distinguit imaginem Dei (essentialem, indelebilem) et participationem Dei (De Trin. XIV, c. 8, n. 11. ML 42, 1044), qua participatione accipimus justitiam Dei (ib., c. 12, n. 15. l. c., 1048; Ep. 120, n. 19. ML 33, 461. CSEL 34 II, 720, 26—721, 18). filii Dei efficimur (Ep. 140, c. 4, n. 11. ML 33, 542sq. CSEL 44, 162, 15—163, 17) et deificamur (De Civ. Dei XIV, c. 13, n. 2. ML 41, 421sq. CSEL 40 II, 33, 1—7, etc.). Cf. etiam Dumont, RvSR 12 (1932), 29—34; 209—214.

sed tantum quod aliam dignitatem habebunt."[90] Accepimus primitias spiritus, id est, animae nostrae jam sunt Deo oblatae ut sacrificium et igne caritatis comprehensae; sed in corpore concupiscentia adhuc reluctatur, ideoque homo nondum est holocaustum, nondum totus transiit in servitium Dei, et ideo „in nobis ipsis congemiscimus, ... adoptionem expectantes, redemptionem corporis nostri: id est, ut et ipsum corpus accipiens beneficium adoptionis filiorum, qua vocati sumus, totos nos liberatos, transactis omnibus molestiis, ex omni parte Dei filios esse manifestet."[91]

Ex hoc textu luculenter apparet, quomodo Augustinus conciliet utramque ideam: jam filii Dei sumus, sed simul manet aliquid perficiendum, donec et corpus particeps fiat hujus beneficii, et sic totus homo transeat in gloriam filiorum Dei.

Alter textus, in quo De Blic multum insistit ad probandam suam thesim,[92] habetur in De peccatorum meritis et remissione, lib. II, c. 7—10.[93] Ubi tractatur quaestio, utrum aliquis sit sine peccato in hac vita, et respondetur negative. Deinde hoc explicatur ex praesenti conditione hominis: Per regenerationem baptismi homo incipit esse in novitate spiritus, sed eo ipso nondum absumpta est tota ejus infirmitas. Hoc fiet in altera regeneratione, in resurrectione corporum. Interea corpus adhuc subjectum est corruptioni et morti, sed etiam animus adhuc magis renovandus est, quia, dum manet illa infirmitas (= concupiscentia), non possumus vitare omnia peccata. Proinde jam aliquomodo Deo similes sumus (cit. 1. Jo. 3, 2), aliquomodo adhuc dissimiles. Propter illam similitudinem, primitias spiritus (= caritatem; cf. locum supra citatum De div. quaest., q. 67, n. 6) verum est: Qui natus est ex Deo, non peccat, et non potest peccare, qui semen ejus in ipso manet (1. Jo. 3, 9), et propter hanc dissimilitudinem (= concupiscentiam et peccata venialia, quae inde pullulant)[94] verum est: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est (ib., 1, 8). Ex toto hoc statu imperfecto

---

[90] De div. quaest. 83, q. 67, n. 2. ML 40, 67. Per comparationem cum coloribus innuitur etiam haec idea Augustino tam cara, futuram glorificationem non ab extra superventuram, sed ex gratia interna tamquam ejus consummationem orituram esse. Textus vide apud Mausbach I, 78; II, 124—126.

[91] L. c., n. 6. ML 40, 69.

[92] RchSR 17 (1927), 423 sq.

[93] N. 9—12. ML 44, 156—158. CSEL 60, 79, 16—83, 16.

[94] De his plura in II. Sectione, p. 109 sq.

explicatur etiam, quomodo parentes justificati possint transmittere pecatum originale.[95]

Quid de hoc textu dicendum? Primo, oblivioni tradenda non est intentio auctoris polemica. Refutanda erat fictitia illa facilitas vitandi quodcumque peccatum, quam Pelagiani tribuebant homini in statu actuali. Ideo magis insistendum erat in imperfectione remanente quam in renovatione jam effecta; propterea nulla explicita mentio caritatis, inhabitationis Spiritus Sancti, sanctificationis, deificationis, quae omnia alibi tribuit ipsi baptismo. Estne hoc silentium, in talibus circumstantiis, in comparatione status originalis et praesentis, tanti ponderis aestimandum, ut propterea minuatur vis textuum explicitorum, quos supra consideravimus? Haec conclusio nullo modo admittenda videtur.[96]

Sed instatur: in uno saltem loco ipsa necessitas controversiae pelagianae exigebat, ut Augustinus loqueretur de infusione alicujus novi principii superioris, si eam agnoscebat, et iste locus est Contra Julianum VI, c. 13, n. 40.[97] Sed nihil hujusmodi. En textum: „Dixisse me affirmas, quod gratia non perfecte hominem novum faciat. — Non hoc dico; attende quod dico. Gratia perfecte hominem novum facit, quandoquidem et ad corporis immortalitatem plenamque felicitatem ipsa perducit. Nunc etiam perfecte innovat hominem, quantum attinet ad liberationem ab omnibus omnino peccatis, non quantum ad liberationem attinet ad omnibus malis, et ab omni corruptione mortalitatis, qua nunc corpus aggravat animam . . .“ Nonne aptissime Augustinus respondere potuit: sed in baptismo infunditur aliquod donum permanens, quod hominem constituit filium Dei? Cur non fecit, nisi quia non agnovit?[98]

Sed haec argumentatio non videtur esse stringens. Etenim, etiamsi Augustinus sic respondisset, Julianus statim potuit subsumere: sed tu dicis, concupiscentiam esse malam, et haec mala concupiscentia manet in baptizato; ergo quidquid ei infundatur in

---

[95] De his plura in II. Sectione, p. 82—104.

[96] Eodem modo ac textus citatus explicari possunt: De pecc. mer. II, c. 27, n. 44; c. 28, n. 45. ML 44, 177 sq. CSEL 60, 115, 8—117, 7; C. duas epist. Pelag. III, c. 3, n. 4 sq. ML 44, 589—591. CSEL 60, 488, 10—491, 26, etc. Cf. De pecc. mer. I, c. 7, n. 7. ML 44, 113. CSEL 60, 8, 15—9, 18. De progressu justitiae vide etiam Mausbach II, 123 sq.; 341—355; 378—387; Gilson 215—219 (ed. germ. 295—301).

[97] ML 44, 844; De Blic, RchSR 17 (1927), 428 sq.

[98] De Blic, l. c.

baptismo, parum refert; homo non est totus renovatus, nisi tu concedas concupiscentiam non esse malam.

Praeterea, eodem jure possemus querere, cur Augustinus hoc loco nihil dicat de infusione caritatis, quae de cetero ipsi tanti momenti est, ut sola discernat inter filios Dei et filios diaboli, ut hominem deificet, etc., nec quidquam de inhabitatione Spiritus Sancti? Sed si prae oculis habetur status quaestionis: differentia inter statum originalem et praesentem, et necessitas gratiae, — omnia videntur bene conciliari posse.

Instat iterum De Blic: Si Augustinus agnovisset infusionem alicujus doni permanentis et elevantis, hoc appareret maxime in ejus doctrina de effectu baptismi in infantibus. Jam vero numquam indicare potuit, quid praeter remisionem peccati originalis baptismus efficiat; immo, quando Pelagiani dicebant, per baptismum infantem adoptari in filium Dei (quod erat aliquomodo gratia elevans!) eos acriter reprehendit: hoc modo baptismum fieri ludibrium, Jesum non esse parvulis Jesum, etc. Ergo infusionem talis doni non agnovit.[99]

Respondetur, Augustinum non describere infusionem gratiae terminis scholasticis, sed aliquid distinctum a remissione peccatorum omnino docere. Tribuit enim parvulis baptizatis adoptionem filiorum Dei,[100] inhabitationem Spiritus Sancti,[101] justitiam,[102] immo

---

[99] De Blic, RchSR 17 (1927), 513—525. De textibus ibi citatis haec breviter dicta sint: In textu De quant. animae, c. 36, n. 80 (ML 32, 1080), ipse auctor merito non insistit, cum hoc opus scriptum sit ab Augustino adhuc laico, anno 387/88; in Ep. 98 (ML 33, 359—364. CSEL 34 II, 520—533) quaestio principalis non est, quid efficiat baptismus, sed quomodo parvuli in veritate dici possint credentes, quam quaestionem, deficiente doctrina de habitibus infusis, Augustinus certe solvere non potuit. In eadem tamen epistola innuere videtur infusionem gratiae (n. 5) et inhabitationem Spiritus Sancti (n. 2). Quaestionibus, quas hic (atque etiam De bapt. IV, c. 23, n. 30 sq. ML 43, 174 sq. CSEL 51, 258, 12—260, 12) sine solutione reliquit, clarius respondet tempore controversiae pelagianae, ut supra ostensum est (cf. p. 59. 61.). In Serm. 294 (ML 38, 1335—1348) intentio principalis est, probare necessitatem baptismi ad consecutionem vitae aeternae; propterea insistit in probando peccato originali ex auctoritate Scripturae et Ecclesiae; non intendit, complete describere omnes effectus baptismi. Idem dicendum videtur de textibus De pecc. mer. I, c. 30, n. 58; c. 31, n. 60. ML 44, 142 sq. 144. CSEL 60, 57, 6—58, 7; 59, 24—61, 21. Cf. Mausbach II, 195; 197; 310; Hofmann in ThGl 22 (1930), 427—431.

[100] Vide supra, p. 61, nota 30, praeterea: Op. imp. c. Jul. I, c. 35—38. ML 45, 1063 sq.

[101] Supra, p. 61.

[102] Supra, p. 59.

infusionem gratiae, quae secundum totum tenorem doctrinae Augustini „realistice“ sumenda est.[103]

Quod autem ad thesim pelagianam attinet, eam complexive impugnat, sicuti jacet, scil. „parvulos transferri a b o n o ad melius“ sine remissione peccati. Si ita esset, tunc baptismus esset „ludibrium“, qui datur in remissionem peccatorum, ubi nullum omnino peccatum est delendum;[104] Jesus non esset parvulis Jesus, id est Salvator;[105] quod est verissimum; nam Salvator non est, qui transfert a bono ad melius, sed qui eripit e malo. Tamen Augustinus longe est a neganda adoptione facta per baptismum, ut ipse Julianus dicit: „I g i t u r e t s e c u n d u m t e, i n a d o p t i o n e q u i d e m p e r o m n e s a e t a t e s g r a t i a e e s t a e q u a l i s e f f e c t u s.“[106] Immo Augustinus eam habet ut „sublime donum“ et ex hoc principio communi ratiocinatur contra Pelagianos.[107] Tandem dubitari potest, an Pelagiani illam gratiam adoptionis habuerint ut vere elevantem; interdum videtur mere supplere actus naturales, quorum parvuli incapaces sunt.[108] Unde dici non potest, Pelagianos habuisse veram notionem gratiae elevantis et a Doctore Gratiae etiam hanc eorum ideam impugnatam fuisse.

Ultimo: objiciuntur etiam textus, in quibus separatio hominis a Deo describitur per vitam moraliter malam, participatio Dei per vitam moraliter bonam.[109] — Numquid inde sequitur, sub hoc aspectu morali contineri totam realitatem? Cum supra jam osten-

---

[103] De pecc. mer. I, c. 9, n. 10. ML 44, 114 sq. CSEL 60, 11, 4—20 (supra, p. 59. Cf. H a r n a c k III, 83. 84 (supra, p. 39, nota 13).

[104] De praed. sanctorum, c. 13, n. 25. ML 44, 978; C. Jul. III, c. 3, n. 8 sq. l. c., 705—707, etc.

[105] Op. imp. c. Jul. II, c. 108; V, c. 9. ML 45, 1186 sq. 1438 sq.; Ep. 178, n. 1. ML 33, 773. CSEL 44, 690, 3—5; alios textus vide apud M a u s b a c h II, 152; 156.

[106] Op. imp. c. Jul. II, c. 127. ML 45, 1195.

[107] C. duas epist. Pelag. II, c. 6, n. 11. ML 44, 578. CSEL 60, 471, 4—12; ib., c. 7, n. 16. ML 44, 583. CSEL 60, 478, 15—24. Si alibi affirmat, „solo peccato imaginem Dei excludi a regno Dei“, hoc intelligitur ex oppositione inter duplicem statum historicum. Cf. C. Jul. VI, c. 24, n. 81 (ML 44, 872): „...j u s t a s autem imagines Dei, quis nisi injustus prohiberet a regno Dei?“) De theoria hominis sine gratia innocentis ne cogitavit quidem. Ideo hoc modo loquendi non negat gratiam elevantem, quamvis nec affirmet. Cf. D u m o n t, RvSR 12 (1932), 209—212; M a u s b a c h II, 291—294.

[108] Cf. v. g. C a e l e s t i u m, cit. De pecc. orig., c. 5, n. 5. ML 44, 388. CSEL 42, 170, 1—3.

[109] D e B l i c, RchSR 17 (1927), 419—423.

sum sit, justitiam non consistere in solis actibus observationis legis,[110] duo hic adnotasse sufficiet: primum, quomodo Augustinus distinguat „virtutem veram“ christianorum et diminutam illam virtutem, quam concedit infidelibus. Non eo, quod illi possint vincere concupiscentiam, hi non; sed quia virtutes ethnicorum non procedunt ex fide, sine qua nequit esse vera virtus. Clarum est, hoc argumentum non esse psychologicum et morale, sed dogmaticum, et saltem adumbrare distinctionem virtutum, ut hodie dicimus, naturalium et supernaturalium.[111] Deinde ordo rerum sic est, ut homo rejiciens dignitatem filii Dei, jam non possit recte vivere neque ut homo, sed ruat in aliquam condicionem infrahumanam,[112] et istas sequelas separationis a Deo Augustinus vivide describit.

Conclusio Sectionis primae

Genuina Augustini de justificatione doctrina, quam hactenus exposuimus, duobus assertis enuntiari potest:

1. Existit aliqua justitia, qua homo vere, intrinsecus, coram Deo justus est.

2. Haec justitia consistit in aliquo dono permanenti, quo homo elevatur ad aliquem statum altiorem, ita ut sit particeps Dei, filius Dei, deificatus; est beneficium, quod comparari potest cum gratia unionis hypostaticae: „Ea gratia fit ab initio fidei suae homo quicumque christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus; de ipso Spiritu et hic renatus, de quo ille est natus . . .“[113] Verum est, Augustinum in hoc asserto non adeo explicitum esse sicut in priore, sed non minus certum est, theologos scholasticos, qui excoluerunt doctrinam de gratia habituali, fideliter secutos esse tramitem cogitationis ejus.

Haec est Augustini de justificatione non „imaginatio“, ut Me-

---

[110] Supra, p. 57—62.

[111] Cf. Dumont, RvSR 11 (1931), 536—542; 12 (1932), 198—209; Mausbach II, 260—299; Gilson 189—191 (ed. germ. 261 sq.), cum notis.

[112] „Amare te coepisti; sta in te, si potes.“ Serm. 96, n. 2. ML 38, 585.

[113] De praed. sanctorum, c. 15, n. 31. ML 44, 982; cf. Enchir., c. 36—40. ML 40, 250—252; De pecc. mer. II, c. 23, n. 37; c. 24, n. 38. ML 44, 173—175. CSEL 60, 109, 1—111, 9. Justificatio includit remissionem peccatorum, sicut dignitas Christi impeccabilitatem; sed impeccabilitas Christi fluebat ex unione hypostatica (cf. Enchir., c. 40. ML 40, 252), sic etiam in nobis remissio peccatorum ex aliis beneficiis gratiae. Cf. Mausbach II, 132—134.

lanchthoni scribere placuit, sed idea profunda et Doctoris gratiae digna. In hac conceptione justificatio hominis non resolvitur in aliquam „habitudinem inter duas personalitates spirituales“,[114] in qua fere oblivioni traditur, unam ex istis duabus „personalitatibus“ esse Creatorem et alteram creaturam ejus, sed etiam Deus justificans est Creator omnipotens. Non mere dimittit poenam, non mere considerat peccata ac si non essent, sed intrinsecus attingit animam, operatur in ea transmutationem intimam et mirabilem, reficit quod fecit, reformat quod formavit, recreat quod creavit,[115] sanat, mundat, in melius commutat;[116] ideo justificatio est opus creatione majus, et intolerabilis est arrogantia Pelagianorum, qui plus minus aperte dicunt: Deus nos fecit homines, sed nos ipsi justos nos fecimus.[117] „Nam si ille nos fecit homines, nos autem ipsi nos fecimus salvos; aliquid illo melius fecimus. Melior est enim salvus homo, quam quilibet homo. Si ergo te Deus fecit hominem, et tu te fecisti bonum hominem, quod tu fecisti melius est. Noli te extollere super Deum; subde te Deo, adora, prosternere, confitere illi qui fecit te: quia nemo recreat, nisi qui creat; nemo reficit, nisi qui fecit.“[118] Deus renovat in homine imaginem suam, quae licet non omnino extincta, tamen detrita et obsoleta erat.[119] Ut hanc renovationem obtineat, homo justificandus clamet ad Deum: „Tu illuminabis

---

[114] Cf. Rückert, Rechtfertigungslehre, 244: „Wenn man die Wirkung Gottes auf den Menschen nicht versteht als die Wirkung einer geistigen Persönlichkeit auf eine andere, sondern als eine naturhaft-magische Veränderung im Menschen ...“ Cf. Harnack III, 83 sq. (supra, p. 39, nota 12 et 13).

[115] In Jo., tr. 1, n. 12. ML 35, 1385; Serm. Wilm. 3, n. 1. MA I, 681, 11 sq.; Serm. 26, n. 3; Serm. 120, n. 3. ML 38, 172. 677 sq.; En. in Ps. 70, Serm. 2, n. 2. ML 36, 892; in Ps. 99, n.15. ML 37, 1280; in Ps. 102, n. 5. l. c., 1319 sq.; in Ps. 103, Serm. 4, n. 14. l. c., 1388; in Ps. 137, n. 18. l. c., 1783 sq.; in Ps. 142, n. 10. l. c., 1851; C. Faustum II, c. 4. ML 42, 211. CSEL 25 I, 257, 16—22.

[116] De Civ. Dei XXI, c. 15. ML 41, 729 sq. CSEL 40 II, 545, 19—25; En. in Ps. 102, n. 5. ML 37, 1319; Serm. 155, n. 11. ML 38, 847; Serm. 292, n. 6. ML 38, 1324.

[117] Ep. 140, c. 37, n. 85. ML 33, 577. CSEL 44, 233, 18—234, 5; Ep. 177, n. 1. ML 33, 764. CSEL 44, 669, 5—9; In Jo., tr. 72, n. 2 sq.; tr. 81, n. 2. ML 35, 1823 sq. 1841; De Gen, ad litt. VIII, c. 10, n. 23. ML 34, 381 sq. CSEL 28 I, 247, 10—248, 2; En. in Ps. 144, n. 10. ML 37, 1875 sq.; Serm. 115, n. 3. ML 38, 656; De pecc. mer. II, c. 18, n. 30 sq. ML 44, 169. CSEL 60, 101, 13—102, 20.

[118] Serm. 176, n. 5. ML 38, 952. Cf. Serm. Guelf. 1, n. 2. MA I, 443, 10—30; Serm. 169, n. 13. ML 38, 923; En. in Ps. 142, n. 17. ML 37, 1855.

[119] De Trin. XIV, c. 8, n. 11. ML 42, 1044; Retr. II, c. 24, n. 2. ML 32, 640. CSEL 36, 160, 10—13; Serm. 90, n. 10. ML 38, 566, et alibi passim.

lucernam meam; Deus meus, illumina tenebras meas“ (Ps. 17, 29),[120] et illuminatur a Deo, ita ut illuminatus jam ipse sit lux, non in seipso, sed in Domino (Eph. 5, 8).[121] Sic etiam Joannes Baptista erat lucerna ardens et lucens (Jo. 5, 35), sed accensa ab illo, qui est lux vera, quae illuminat omnem hominem (Jo. 1, 9), et de cujus plenitudine omnes nos accepimus (Jo. 1, 16), sine quo et ipse Baptista tenebrae esset, sicut omnes impii.[122] Nec ullum est periculum, ne haec doctrina hominem a Christo avertat; immo, quanto mirabiliora sunt, quae in nobis efficit gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, tanto major excitatur in nobis affectus gratitudinis, tanto ardentius anima diligit Christum, qui nos amavit „foedos et deformes ... ut mutaret, et ex deformibus pulchros faceret. Quomodo erimus pulchri? Amando eum qui semper est pulcher. Quantum in te crescit amor, tantum crescit pulchritudo; quia ipsa caritas est animae pulchritudo.“[123] „Laudemus illum, exaltemus illum qui fecit ipsam justitiam quam habemus; ipse in nobis fecit. Quis enim in nobis fecit justitiam, nisi qui nos justificavit? De Christo autem dictum est, Qui justificat impium (Rom. 4, 5). Nos ergo impii, ille justificator, quando et ipsam justitiam ipse in nobis fecit qua illi placeamus, ut ad dexteram nos ponat, et non ad sinistram.“[124]

---

[120] En. in Ps. 17, n. 29. ML 36, 151 sq.; in Ps. 109, n. 1. ML 37, 1446, et alibi passim.

[121] En. in Ps. 85, n. 4. ML 37, 1084 sq.; Serm. 155, n. 11. ML 38, 847, et alibi passim.

[122] In Jo., tr. 2, n. 9. ML 35, 1391; De spir. et litt., c. 7, n. 11. ML 44, 206. CSEL 60, 162, 21—163, 12, et alibi passim.

[123] In Ep. Jo., tr. 9, n. 9. ML 35, 2051. Similiter: In Jo., tr. 10, n. 13. ML 35, 1474; En. 1 in Ps. 58, n. 18; in Ps. 64, n. 8. ML 36, 704. 779 sq., etc. Contra objectionem Harnack (supra, p. 39, nota 12 et 13) cf. etiam Mausbach I, 148—150; II, 136—138.

[124] En. in Ps. 98, n. 8. ML 37, 1263.

SCOLASTICAT ST-JOSEPH O.M.I. OTTAWA EST

SECTIO II:

Utrum S. Augustinus docuerit, justitiam inhaerentem sufficere ad salutem

Hucusque demonstratum est, Augustinum manifeste docere aliquam justitiam intrinsecam, qua homo est vere justus, sanctus, bonae voluntatis, Deo placens, filius Dei, deificatus, habet Spiritum Sanctum inhabitantem et implet legem per caritatem infusam. Nonne talis homo, instructus tam magnificis donis divinis, omnino dignus est, cui tribuatur vita aeterna? Quis diceret, ei adhuc plurimum deesse, ita ut in rigore justitiae adhuc damnari posset, nisi ei misericordia divina ulterius subveniret per aliquam fictitiam imputationem justitiae Christi? Nonne hoc esset omnino incohaerens? Tamen Seripandus et alii fautores duplicis justitiae talem opinionem Augustino tribuerunt, congerentes multos textus de imperfectione et insufficientia nostrae justitiae. Ideo examinandum remanet, qualis sit haec imperfectio; an talis, quae dubiam reddat assecutionem vitae aeternae? Examinabimus proinde quaestiones sequentes:

1. de natura concupiscentiae remanentis post justificationem,
2. de peccatis, quae a justis committuntur,
3. de valore meritorio actuum nostrorum,
4. de munere justitiae Christi in nostra justificatione.

Caput I.

De concupiscentia

Ad quaestionem nostram quod attinet, non oportet explicare totam Augustini doctrinam de concupiscentia sub respectu psychologico et theologico; proinde ad definitionem concupiscentiae animadvertisse sufficiat: Concupiscentia, de qua hic tractandum est et de qua Augustinus plerumque loquitur, non significat appetitum sensitivum neque simpliciter, neque ut deordi-

natum, multo minus restringenda est ad concupiscentiam „carnalem“ proprie dictam seu appetitum sexualem, sed consistit in tota illa interiore discordia et deordinatione, quam homo lapsus in se experitur.[1] Quoad terminologiam satius visum est abstinere a terminis scholasticis, ita ut mens S. Doctoris, quantum fieri potest, propriis ejus verbis reddatur; notasse tamen juvabit, per „concupiscentiam“ in genere significari concupiscentiam habitualem, per „motus concupiscentiae“ eam quam vocant actualem.

Concupiscentiam secundum Augustinum pertinere ad essentiam peccati originalis, apud fere omnes in confesso est,[2] nec minus certum est, eam non constituere peccatum originale, quatenus concupiscentia est factum psychologicum,[3] sed quatenus conjuncta est cum reatu. Quid autem Augustinus intelligat per reatum, in hoc problemate enodando multum laboratum est et adhuc laboratur.

---

[1] Plura vide apud Mausbach II, 174—178 et Hamma, TQS 55 (1873), 418—461; 547—597, praesertim 571—597. Cf. etiam C. Jul. IV, c. 14. ML 44, 769—776.

[2] Historiam interpretationis et copiosam bibliographiam vide apud De Blic, RchSR 16 (1926), 97—119. Portalié in DTC I, 2395 sq., et in Etudes, 1908, t. 116, 630—638, vult concupiscentiam reducere ad merum effectum peccati originalis, quod non videtur sustineri posse. Cf. De Blic, RchSR 17 (1927), 525—530; Kors 16, nota 7. — Gilson 189, nota 1 (ed. germanica 260, nota, 3., v. 515 sq.), defendit interpretationem Portalié; item Donau (vide notam seq.)

[3] Quatenus est factum psychologicum, id est, „ignorantia et difficultas“, posset etiam sine praevio hominis peccato existere. Cf. De libero arbitrio III, c. 20, n. 56. ML 32, 1298; Retract. I, c. 9, n. 6. ML 32, 598 sq. CSEL 36, 45, 15—47, 5; De dono persev., c. 11, n. 27. ML 45, 1009; Boyer, De Deo Creante, 293—297; id., Essais sur la doctrine de St. Augustin, ch. IX, p. 237—271; Donau, RA 34 (1922), 421—423; Mausbach II, 116 sq. — Kors, p. 11—12, nota 5, perperam intelligit loc. cit. ex Mausbach; cl. auctor ibi nullo modo vult probare, concupiscentiam in statu actuali esse naturalem, sed compossibilem cum natura humana qua tali („Vereinbarkeit mit dem Begriff der Menschennatur“). Yves de Montcheuil, L'hypothèse de l'état originel d'ignorance et de difficulté d'après le De libero arbitrio de Saint Augustin, in RchSR 23 (1933), 197—221, hunc locum sic interpretatur: Augustinus hic loquitur in hypothesi, quod Adam peccavit et quod deinde Deus animas mittat in corpora, ubi patiantur ignorantiam et difficultatem, quin ipsae animae participes sint culpae Adae. Hoc sensu propter decretum divinum, ignorantia et difficultas essent hominis primordia „naturalia“, et haec dispositio non esset injusta. — Etiam tali interpretatione supposita, clarum omnino est, ipsam concupiscentiam qua talem non constituere peccatum, utpote quae posset esse in anima innocenti, quae non participaret culpam Adae. Philips 85—88, dubitat de vi probativa textus citati, sed 91 sq. admittit ut solutionem probabilem: possibilis fuisset concupiscentia secundum Augustinum etiam sine peccato praecedenti, sed minori gradu.

Ideo primo loco nobis discutiendum erit, quid sit ille reatus; deinde quaeritur, quomodo tollatur; ultimo, quid dicendum sit de concupiscentia remanente, utrum sit peccatum necne; inde patebit, an et quomodo obstet perfectioni justitiae nostrae.

§ 1. Quid est reatus concupiscentiae?

Ut recte dijudicari possit mens S. Doctrinis de reatu peccati originalis, diligenter considerari oportet, quid intelligat per reatum peccati in genere. Quod si semper prae oculis habetur, multi errores vitantur,[4] et apparet concupiscentiam non per se solam constituere essentiam peccati originalis, sicut secundum quaedam effata antipelagiana interdum videri possit.[5]

1. Quid igitur est reatus peccati in genere?

a) Interdum videtur identificari cum obligatione subeundi poenam,[6] sed talis modus loquendi est potius descriptio per illud elementum, quod maxime mentis attentionem percellit, quam stricta definitio. Poena enim supponit culpam;[7] poena nequit remitti sine remissione culpae, sed econtra, remisso peccato manere potest obligatio subeundi poenam.[8] Aliud ergo est obligatum esse ad poenam, aliud, reum esse peccati.[9] „Hoc est enim, non habere peccatum, reum non esse peccati. Nam si quisquam, verbi gratia, fecit adulterium, etiamsi nunquam deinceps faciat, reus est

---

[4] Cf. plures sententias, quae dijudicantur apud Mausbach II, 170—172.

[5] Rationes, cur Augustinus in controversia pelagiana, describendo peccatum originale, adeo insistat in concupiscentia, optime indicat Scheeben, Dogmatik, Bd. II, S. 651 sq. (4. Buch, n. 340).

[6] C. Jul. VI, c. 19, n. 62. ML 44, 861. (In hunc locum cf. Mausbach II, 79; 89 sq.; 92, nota 3).

[7] Retr. I, c. 15, n. 2. ML 32, 608. CSEL 36, 72, 17 sq. „reatu ejus implicatos, et ab hoc (ol. ob hoc) poenae obnoxios detineri ...“ videtur obligatio ad poenam a reatu distingui tamquam effectus a causa. Cf. Conf. I, c. 12, n. 19. ML 32, 670. CSEL 33, 17, 13—20; En. in Ps. 5, n. 10. ML 36, 87; C. Jul. II, c. 10, n. 33. ML 44, 697; ib., III, c. 3, n. 9. ML 44, 706; Op. imp. c. Jul. VI, c. 36. ML 45, 1594; Mausbach II, 119—122.

[8] In Jo., tr. 124, n. 5. ML 35, 1972; De pecc. mer. II, c. 34, n. 56. ML 44, 184. CSEL 60, 125, 7—20. Pro differentia poenae et culpae vide ib. I, c. 32, n. 61. Cf. Poschmann in Zeitschr. f. kath. Theologie 45 (1921), 410.

[9] Secundum Merlin (370—374) reatus nihil aliud esset, nisi id quod hodie dicitur „reatus poenae“. Contra Adam, qui in genere sequitur Mausbach, sed descriptionem reatus talem exhibet, ut eum fere restingere videatur ad divinum decretum puniendi (35—37; 43—45; 48 sq.; 65), cf. Poschmann (loc. cit. in nota 8), 405—420; 427—432; praesertim 408, nota 1, ubi notat intrinsecam, incohaerentiam in sententia Adam; Stufler, ib. 42 (1918), 632—635.

adulterii, donec reatus ipsius indulgentia remittatur. Habet ergo peccatum, quamvis illud quod admisit jam non sit; quia cum tempore quo factum est praeteriit. Nam si a peccando desistere, hoc esset non habere peccata, sufficeret ut hoc nos moneret Scriptura: Fili peccasti? non adjicias iterum. Non autem sufficit, sed addidit: Et de pristinis deprecare, ut tibi remittantur (Eccli. 21, 1). Manent ergo, nisi remittantur. Sed quomodo manent, si praeterita sunt; nisi quia praeterierunt actu, manent reatu?"[10]

b) Sed quomodo et ubi manent? Juliano Pelagiano asserenti „actu praetereunte, manet ejus reatus in illius conscientia qui deliquit, donec dimittatur", Augustinus respondet: „Quid si obliviscatur se deliquisse, nec ejus conscientia stimuletur, ubi erit reatus ille, quem transeunte peccato manere concedis, donec remittatur?"[11] Ergo existentia reatus est independens a conscientia peccatoris.

c) Insuper, neque dependet ab ejus voluntate, hoc saltem sensu, quod non consistit in adhaesione voluntatis ad malum nec simpliciter tolli potest per actum detestationis, nisi interveniat aliqua actio Dei liberantis a reatu: „Quapropter sicut idolis immolatio, quae jam nec in actione est, quia praeteriit, nec in voluntate, quia error, quo fiebat, absumptus est, manet tamen reatus ejus, donec in lavacro regenerationis peccatorum omnium remissione solvatur . . ."[12] „Non enim verum videt, qui putat reatum sibi ipsi tollere poenitentem, quamquam et ipsam poenitentiam Deus det . . . sed reatum apertissime Deus tollit, homini dando indulgentiam; non sibi ipse homo, agendo poenitentiam. Debemus quippe illum recolere, qui locum poenitentiae non invenit, quamvis cum lacrimis quaesierit eam (Hebr. 12, 17)."[13]

d) Sed fortasse reatus consistit in mala consuetudine per peccatum contracta, quae catenae instar hominem constringit nec rumpi potest simplici actu detestationis? Sed haec explicatio omnino, et jure merito, rejicitur ab Augustino: „. . . quasi vis

---

[10] De nupt. et conc. I, c. 26, n. 29. ML 44, 430. CSEL 42, 241, 20—242, 5. Cf. Op. imp. c. Jul. IV, c. 103. ML 45, 1398.

[11] C. Jul. VI, c. 19, n. 62. ML 44, 860.

[12] Ib., n. 61, l. c.

[13] Op. imp. c. Jul. VI, c. 19. ML 45, 1544. Cf. ib. IV, c. 96; 103; 116. l. c., 1395. 1398. 1410. Nota etiam, reatum peccatorum solvi in baptismo, quamvis poenitentia, detestatio peccatorum commissorum, jam antea facienda sit. Vide De fide et operibus per totum, praesertim c. 11, n. 17. ML 40, 207 sq. CSEL 41, 54, 23—57, 2.

ipsa consuetudinis deponatur in baptismo, et non adversus eam confligant etiam baptizati ... Quod si attente sine pervicacia considerare voluisses, profecto in ipsa etiam vi consuetudinis invenires, quomodo concupiscentia remittatur in reatu, et maneat in actu.“[14] Aliis verbis: remisso reatu peccati, nondum sublata est vis malae consuetudinis; ergo non sunt una eademque res, sicut nec concupiscentia et ejus reatus sunt unum idemque.

e) Quid igitur est ille reatus? Certe est malum aliquod intrinsecum homini, nam secus non posset homini imputari: „Quomodo ergo malum voluntatis naturae non potest admoveri; cum velle aliquid nisi natura non possit? Aut non imputetur homini peccatum voluntatis suae; quia homo natura est, et malum voluntatis, ut dicis, naturae non potest admoveri. An in tantum tua progreditur vanitas, ut naturae dicas debere imputari, quod naturae non potest admoveri?“[15] Quale est illud malum intrinsecum „primum ... creaturae rationalis malum ... prima privatio boni?“[16]

f) Non est mera carentia bonae voluntatis, sed est carentia, privatio summi boni, separatio a Deo. Sicut anima vita est corporis, ita Deus vita est animae: „Vita carnis tuae, anima tua; vita animae tuae, Deus tuus. Quomodo moritur caro amissa anima, quae vita est ejus, sic moritur anima amisso Deo, qui vita est ejus.“[17] „Sine, inquit, mortuos sepelire mortuos suos (Lc. 9, 60). Infideles cadaver quando sepeliunt, mortui mortuum sepeliunt. Illius corpus animam perdidit; illorum anima Deum. Sicut enim vita corporis anima est: sic vita animae Deus. Sicut exspirat corpus, cum animam emittit; ita exspirat anima, cum Deum amittit. Deus amissus, mors animae; anima amissa, mors corporis. Mors corporis necessaria; mors animae voluntaria.“[18]

In his textibus, quibus multi alii addi possunt,[19] non est sermo

---

[14] C. Jul. II, c. 3, n. 5. ML 44, 676; cf. ib. VI, c. 18, n. 56. ML 44, 855 sq.

[15] Op. imp. c. Jul. V, c. 53. ML 45, 1487. Cf. ib. IV, c. 116. l. c., 1410; C. Jul. III, c. 6, n. 13. ML 44, 708; in Jo., tr. 41, n. 4. ML 35, 1694, ubi directe de solo peccato actuali dicit: „intus est“; sed contextus exigit, ut hoc etiam ad peccatum habituale extendatur.

[16] Enchir., c. 24, n. 8. ML 40, 244.

[17] In Jo., tr. 47, n. 8. ML 35, 1737.

[18] Serm. 62, n. 2. ML 38, 415.

[19] Cf. Serm. 65, n. 4—8. ML 38, 428—430; Serm. 156, n. 6. l. c., 853; Serm. 212, n. 1. l. c., 1059; In Jo., tr. 19, n. 12. ML 35, 1549 sq.; De Civ. Dei XIII, c. 2; c. 12. ML 41, 377 sq. 385 sq. CSEL 40 I, 615, 15—617, 7. 630, 19—631, 11; De nat. et gr., c. 23, n. 25. ML 44, 259 sq. CSEL 60, 251, 11—252, 18, etc. Mausbach II, 90—93; 193 sq.

de reatu, saltem non expressis verbis, sed aequivalenter, nam: „mors animae“ est effectus peccati, status inductus per peccatum (non per infidelitatem tantum, sed etiam per alia peccata, v. g. per perjurium).[20] „Mortui sunt omnes infideles, omnes iniqui; corpore vivunt, sed corde extincti sunt . . . quomodo si anima deserat, moritur corpus, sic anima moritur si deserat Deus.“[21] Jamvero hic status inductus per peccatum in eo consistit, quod „peccatum manet“, homo „habet peccatum“, „reus est peccati.“[22] Ideo „mors animae“, sicut aequivalet „iniquitati“ et „impietati“,[23] merito etiam identificari potest cum reatu, seu dicere possumus: reatus in eo consistit, quod anima peccatrix „privatur Deo“,[24] „carens quadam vita sua, hoc est Dei Spiritu.“[25]

Ex identitate reatus cum morte animae facile quoque patet, cur homo non possit tollere reatum per simplicem detestationem peccati. In ejus potestate est, ut se interficiat, non, ut se iterum vivificet; Deus solus est, qui resuscitat animas.[26]

Estne conceptus reatus, quem hactenus eruimus, etiam ad reatum peccati originalis seu „reatum concupiscentiae“ applicandus, ita ut amissio justitiae, amissio vitae divinae sit ille reatus, qui simul cum concupiscentia constituit peccatum originale? Verum est, Augustinum nunquam explicite hanc applicationem fecisse; attamen in pluribus locis, quos jam supra consideravimus, reatum peccati originalis et personalis aequiparare videtur:[27] quod

---

[20] Serm. 180, n. 8. ML 38, 975 sq.

[21] En. in Ps. 70, Serm. 2, n. 3. ML 36, 893. Similiter: De Civ. Dei XIII, c. 2. ML 41, 377. CSEL 40 I, 616, 19—26.

[22] Cf. supra, p. 84 sq.

[23] Cf. De Trin. IV, c. 3, n. 5 sq. ML 42, 889—892; ib., c. 12, n. 15. l. c., 898; C. Jul. VI, c. 19, n. 61 sq. ML 44, 860 sq. Mausbach II, 89—92.

[24] De Civ. Dei XIII, c. 12. ML 41, 386. CSEL 40 I, 631, 6.

[25] Ib., c. 24, n. 6. ML 41, 402. CSEL 40, I, 659, 24 sq.

[26] In Jo., tr. 23, n. 7. ML 35, 1586; Serm. 98, n. 6. ML 38, 594 sq. De hac „suscitatione“ ejusque consectariis quoad ecclesiasticam remissionem peccatorum vide Poschmann in Zeitschr. f. kath. Theologie 45 (1921), 214—228; 405—420; 427—432 (contra Adam). Plura de tota ista quaestione quoad reatum vide apud Mausbach II, 75—93; Scheeben, Dogmatik, Bd. II, S. 559 sq. (4. Buch, n. 116—118). Contra De Blic (RchSR 17 (1927), 415—419) sufficiat in memoriam revocasse, justitiam Adae fuisse gratiam vel saltem effectum gratiae, ut supra (p. 62—65) ostensum est. Proinde privatio hujus justitiae certe non potest intelligi sensu mere morali et philosophico, de amissa naturali participatione Dei (sensu neoplatonico), licet ceteroquin verba forte ambigua sint.

[27] De pecc. mer. II, c. 28, n. 46. ML 44, 178 sq. CSEL 60, 117, 8—21; De nupt. et concup. I, c. 26, n. 29. ML 44, 430. CSEL 42, 241, 13—242, 6; C. Jul. VI,

ceteroquin necessario sequitur ex principiis ejus. Nam contra Juli-anum longe lateque defendit, peccatum originale esse veri nominis peccatum: sed in peccato originali (originato) nullus est actus propriae voluntatis; ergo identitas inter peccatum originale et peccatum propriae voluntatis non potest consistere nisi in per-manenti statu peccati, qui est carentia Dei.

Accedit alia ratio: Peccatum originale idem est in Adam et in ejus posteris,[28] id est, posteri Adae nascuntur in eodem statu, in quo ipse se constituit per praevaricationem suam. Propterea dicitur peccatum Adae „transire" in posteros,[29] „manere" in eis,[30] „contagione" eos afficere.[31] Jamvero elementa, quae constituunt miserum istum statum Adae post peccatum, sunt concupiscentia et amissio rectitudinis, justitiae,[32] immo amissio gratiae;[33] est ergo mutatio in pejus quoad corpus et quoad animam. In eodem statu nascuntur posteri Adae. Nonne pronum esset concludere: ergo deordinatio animae, carentia justitiae, immo carentia gratiae, pri-vatio vitae divinae est ille reatus, qui simul cum concupiscentia constituit peccatum originale? Attamen hanc conclusionem, quan-tumvis videatur principiis ejus consentanea, ipse S. Doctor non deduxit. Quando describit reatum peccati originalis, potius insistit in participatione voluntatis Adae, propter unitatem generis humani cum capite suo.[34] Hunc aspectum theologia posterior cum altero aspectu conjunxit, distinguendo in peccato originali elementum de-ordinationis et elementum voluntarietatis,[35] quorum utrumque certe fundatur in Augustino, quin tamen in synthesim ea redegerit.

Ne ergo S. Doctori tribuamus aliquod systema, quod apud ipsum nondum evolutum invenitur, satius erit dicere: Reatus pec-cati originalis consistit in contractione culpae

---

c. 3, n. 5. ML 44, 676; ib., c. 19, n. 61. l. c., 860. Cf. Mausbach II, 185 sq.; 190—198.

[28] Op. imp. c. Jul. IV, c. 96. ML 45, 1395.

[29] De nupt. et concup. II, c. 28, n. 48. ML 44, 464. CSEL 42, 303, 3—8; Op. imp. c. Jul. II, c. 190. ML 45, 1224.

[30] Op. imp. c. Jul. IV, c. 96; c. 100. ML 45, 1395. 1396 sq., etc.

[31] C. Jul. VI, c. 10, n. 28. ML 44, 839; Op. imp. c. Jul. IV, c. 98 sq. ML 45, 1396.

[32] Cf. De div. quaest. 83, q. 67, n. 4. ML 40, 67 sq.; De Gen. ad litt. VI, c. 24, n. 35. ML 34, 353 sq. CSEL 28 I, 196, 13—24, etc. Mausbach II, 171.

[33] Cf. supra, p. 63—65.

[34] Cf. Kors 17—19 (17, nota 4, contra Mausbach); Portalié in DTC I, 2396. Cf. C. duas epist. Pelag. IV, c. 4, n. 7. ML 44, 614. CSEL 60, 527, 8—528, 16. Alios locos vide apud auctores citatos.

[35] Cf. Boyer, De Deo Creante, 386; 397—404.

Adae et in participatione injustitiae ejus, seu in culpabilitate et in amissione originalis rectitudinis animae,[36] (et tollitur in justificatione per regenerationem spiritus, per intrinsecam mutationem in melius, ut statim ostendetur). Talis conceptus reatus peccati originalis non continet omnia quae continentur in reatu peccati in genere (quia Augustinus in hoc casu est minus explicitus), sed alter alteri non contradicit, et per speculationem theologicam posteriorem in unum conflati sunt.

---

[36] Sedulo notandum est, si hoc modo describimus reatum peccati originalis, ideo concupiscentiam non excludi ab essentia peccati originalis; reatus solus non constituit essentiam, sed simul cum concupiscentia. De Blic (in articulo jam saepius citato) recte quidem reddit sententiam Mausbach (RchSR 16 (1926), 118; 17 (1927), 416), sed in decursu discussionis interdum ita loquitur, ac si secundum Mausbach peccatum originale nihil aliud esset nisi privatio gratiae (ib. 17 (1927), 513: „une simple privation"; 522: „la pure privation de cette faveur indue"), dum secundum hunc auctorem etiam concupiscentia pertineat ad essentiam peccati originalis. (II, 409; ib., nota 2, remittit ad locos explicitos). Hoc principio admisso, multa clarescunt, quae secus inexplicabilia sunt. Si enim sola privatio gratiae constitueret peccatum originale, intelligi non posset influxus concupiscentiae in ejus transmissione (cf. Mausbach II, 161—168); si autem in sola concupiscentia consisteret, sequerentur incohaerentiae adhuc graviores (De Blic, RchSR 17 (1927), 529: „celle-ci (sc. concupiscentia), par un paradoxe étrange mais inhérent au systeme, est tout à la fois et pour la même raison racine et fruit du péché originel" (!). Econtra, si peccatum originale utrumque complectitur, idea S. Doctoris fit magis intelligibilis, licet quaedam obscura maneant. (Mausbach II, 167—169. Cf. ib., 198—207). Kors (17, nota 4) per reatum intelligit solam culpabilitatem, non deordinationem animae; deordinatio animae, aversio voluntatis a Deo, in se considerata non esset peccatum, sicut nec concupiscentia in se est peccatum, sed ratio peccati derivatur unice ex relatione ad voluntatem Adae. Haec explicatio non videtur admittenda, quia ex hac aequiparatione sequeretur: sicut in homine innocenti posset esse concupiscentia (cf. supra, p. 83, nota 3), sic etiam in nomine innocenti posset esse aversio voluntatis a Deo! Si autem „culpabilitas" et „deordinatio animae" considerantur ut elementa non realiter, sed formaliter tantum distincta, quaestio est potius de nomine quam de re. Ceteroquin nomen „reatus" non significat exclusive culpabilitatem, sed simpliciter „condicionem reorum" (Adam 35). Deordinationem autem factam in natura humana per peccatum originale non restringi ad solam concupiscentiam, sed afficere ipsam animam, ex supra dictis satis patet; praeterea confirmatur ex haesitationibus Augustini de origine animarum (Kors 21; Mausbach II, 167 sq.). Praeterea cf. ib. II, 190—196; 203, nota 1; 204; L. Billot, Disquisitio de natura et ratione peccati personalis, ed. 3, Romae 1900, p. 62—69; 73; S. Agostino e S. Anselmo nel secondo volume della Biblioteca Tomista, in Civilità cattolica 77 (1926), Vol. I, 406—419.

§ 2. Quomodo tollitur reatus concupiscentiae seu peccati originalis?

Ante omnia excludenda est sententia veterum Protestantium,[37] secundum quam concupiscentia qua talis esset veri nominis peccatum et maneret tale etiam in renatis; sublatio reatus esset ergo mera non-imputatio extrinseca. Haec sententia longe distat a mente Augustini, qui explicitis verbis docet, concupiscentiam in renatis non esse peccatum,[38] dum in hac sententia omnino esset, sed non reputaretur. Verum quidem est, interdum occurrere terminos: concupiscentia „non imputatur, tegitur“ et similia;[39] sed tales formulas, ceterosquin scripturisticas,[40] non favere Protestantibus, patet vel ex ipsis locis citatis, v. g. De nuptiis et concup. I., c. 32, n. 37, ubi haec evolvitur comparatio: sicut ex olea nascitur oleaster, sic in genere humano nascuntur peccatores etiam ex justis; et quotiescumque per divinam gratiam oleaster in oleam convertatur, tamen ex ejus semine iterum orietur oleaster.[41] Haec certe innuunt aliquam mutationem realem, sed non adeo perfectam, ut justitia acquisita etiam in posteros transferatur. — Praeterea contra interpretationem Lutheri S. Doctor jam aliquomodo ipse se defendit, rejiciendo calumniam Juliani Pelagiani, qui ei objiciebat, secundum Augustini sententiam „Baptisma non dare omnem indulgentiam peccatorum, nec auferre crimina, sed radere (al. rarare), ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur.“[42] Cui respondet: „Quis hoc adversus Pelagianos, nisi infidelis affirmet? Dicimus ergo Baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum et auferre crimina, non radere (al. rarare) nec ‚ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum, unde crescant iterum resecanda peccata‘. Nam et istam similitudinem comperi, suae illos adhibere calumniae, tamquam hoc nos sentiamus atque dicamus. Sed de ista concupiscentia carnis falli eos credo, vel fallere, cum qua necesse est ut etiam baptizatus, et hoc si diligentissime

---

[37] Cf. CT I, 68, 18—41; V, 192, 46—193, 22; Grisar I, 77; Mausbach II, 186, nota 3; 187. Eodem modo Augustinum interpretatur Turmel (ib., 172).

[38] Quod aptius explicari potest in paragrapho sequenti, postquam tractatum erit de sublatione reatus.

[39] De nupt. et concup. I, c. 25, n. 28 sq. ML 44, 430. CSEL 42, 240, 11—242, 6; ib., c. 32, n. 37. ML 44, 434. CSEL 42, 248, 6—249, 5; ib. II, c. 34, n. 58. ML 44, 471. CSEL 42, 316, 3—24. Cf. Mausbach II, 186—190.

[40] V. g. Rom. 4, 7. 8. (Ps. 31, 1); 2. Cor. 5, 19; Ps. 84, 3.

[41] ML 44, 434. CSEL 42, 248, 6—249, 5.

[42] C. duas epist. Pelag. I, c. 13, n. 26. ML 44, 562. CSEL 60, 445, 8—10.

proficit et Spiritu Dei agitur (Rom. 8, 14), pia mente confligat. Sed haec etiamsi vocatur peccatum, non utique quia peccatum est, sed quia peccato facta est, sicut scriptura manus cujusque dicitur, quod manus eam fecerit. Peccata autem sunt, quae secundum carnis concupiscentiam vel ignorantiam illicite fiunt, dicuntur, cogitantur . . .“[43] Parum ergo Augustino est, si dicitur „crimina radi“; quid, si dicuntur mere „non imputari“, quod certe adhuc minus est quam „radi“?

Considerandum nunc est, quomodo Augustinus positive explicet sublationem reatus. Vox „reatus“ est originis juridicae;[44] idèoque nec mirum, quod plerumque pro ejus sublatione voces adhibeantur, quorum sensus originarius est juridicus, v. g. reatus solvitur vel: concupiscentia solvitur a reatu vel: homo solvitur a reatu,[45] reatus dimittitur,[46] remittitur per indulgentiam,[47] homo liberatur a reatu.[48] Sed praeter tales locutiones frequenter adhibet metaphoras Sacrae Scripturae (v. g. reatus abluitur,[49] homo sanatur a peccato,[50] moritur peccato,[51] peccata moriuntur,[52] vel alios modos loquendi, qui realem quandam

---

[43] Ib., n. 26 sq. ML 44, 562 sq. CSEL 60, 445, 10—23. Cf. De nupt. et concup. I, c. 32, n. 37. ML 44, 434. CSEL 42, 248, 6—9 (ubi explicat „concupiscentia in peccatum imputatur“ per „reatus ejus cum ea est“ — non vice versa!); C. Jul. IV, c. 8, n. 49 sq. ML 44, 763; En. 2 in Ps. 31, n. 9. ML 36, 264.

[44] Adam 35; De Blic, RchSR 17 (1927), 427—429, ubi multi textus.

[45] Serm. 151, n. 5. ML 38, 817; En. in Ps. 118, Serm. 3, n. 2. ML 37, 1507; De pecc. mer. I, c. 24, n. 34. ML 44, 129. CSEL 60, 34, 8—10; ib., c. 39, n. 70. ML 44, 150. CSEL 60, 70, 20; ib. II, c. 4, n. 4. ML 44, 152 sq. CSEL 60, 73, 15—23; ib. II, c. 28, n. 45 sq. ML 44, 178 sq. CSEL 60, 117, 1—15; De nupt. et concup. I, c. 25, n. 28. ML 44, 430. CSEL 42, 240, 18 sq.; ib., c. 31, n. 36; c. 32, n. 37. ML 44, 434 sq. CSEL 42, 248, 2—5. 12; C. Jul. VI, c. 15, n. 47. ML 44, 849; ib., n. 48. l. c., 850; ib., c. 17, n. 52. l. c., 853; Retr. I, c. 15, n. 2. ML 32, 609. CSEL 36, 73, 17—19; Op. imp. c. Jul. VI, c. 41. ML 45, 1605, etc.

[46] C. Jul. II, c. 3, n. 5. ML 44, 676; c. 5, n. 12. ML 44, 682; De nupt. et concup. I, c. 25, n. 29. ML 44, 430. CSEL 42, 241, 15—242, 6.

[47] De nupt. et concup. I, c. 26, n. 29. ML 44, 430. CSEL 42, 241, 23; De continentia, c. 8, n. 20. ML 40, 362. CSEL 41, 165, 16—20.

[48] De pecc. mer. I, c. 26, n. 39. ML 44, 131. CSEL 60, 38, 8—15; C. Jul. VI, c. 14, n. 44. ML 44, 847; c. 16, n. 49. l. c., 850; c. 19, n. 62. l. c., 861,

[49] De pecc. orig., c. 39, n. 44 sq. ML 44, 407. CSEL 42, 201, 28—202, 22; C. duas epist. Pelag. III, c. 3, n. 5. ML 44, 590. CSEL 60, 490, 3—5; cf. C. Jul. VI, c. 16, n. 50; c. 19, n. 62. ML 44, 851. 860.

[50] C. Jul. II, c. 4, n. 8. ML 44, 679; Op. imp. c. Jul. V, c. 19. ML 45, 1452.

[51] Enchir., c. 42 sq. ML 40, 253.

[52] De pecc. mer. II, c. 28, n. 45. ML 44, 178. CSEL 60 116, 6; C. Jul. II, c. 9, n. 32. ML 44, 695 sq.

mutationem potius indicant: reatus transit,[53] aufertur,[54] deletur,[55] perit.[56] Quam realis sit haec mutatio, magis clarescit ex comparatione cum morte Christi: „ut ... quomodo in illius vera carne vera mors fuit, sic fiat in veris peccatis vera remissio“;[57] item ex comparatione cum nostra resurrectione: „Nos enim dicimus utrumque transisse, et a Christo utrumque clamamus auferri, reatum scilicet peccati plenissima remissione peccatorum, mortem vero beatissima resurrectione sanctorum.“[58] Remissio, solutio, sanatio fit per sanctificationem baptismatis,[59] per gratiam regenerationis;[60] porro jam vidimus, quam „realistice“ Augustinus hanc regenerationem concipiat. Sufficiat addere unum textum, ubi habetur idem parallelismus ac supra: „Qua enim regeneratione spiritus modo fit ut peccata omnia praeterita remittantur, ejus merito fiet etiam regeneratio carnis in aeternam vitam, qua in ipsa carne incorruptibiliter resurgente peccatorum omnium incitamenta sanentur.“[61]

Ex his omnibus elucet, „solutionem“ vel „remissionem“ reatus minime restringi ad solum ordinem juridicum, sed intime connecti eum interna renovatione hominis, cum regeneratione seu cum infusione gratiae.[62] Sed quid nunc dicendum est de concupiscentia perseverante in baptizatis, quae, conscientia teste, in suo esse phy-

---

[53] C. Jul. VI, c. 19, n. 60. ML 44, 858.

[54] De nupt. et concup. I, c. 26, n. 29. ML 44, 430. CSEL 42, 241, 20; cf. Ep. 194, c. 10, n. 44. ML 33, 890. CSEL 57, 211, 3.

[55] Serm. 152, n. 3. ML 38, 820 sq.

[56] C. Jul. II, c. 5, n. 12. ML 44, 682. Similiter: Enchir., c. 52. ML 40, 256; C. duas epist. Pelag. I, c. 13, n. 27. ML 44, 563. CSEL 60, 446, 7 sq.; cf. Mausbach II, 185, nota 1.

[57] C. Jul VI, c. 3, n. 7. ML 44, 825; cf. Op. imp. c. Jul. II, c. 225. ML 45, 1242.

[58] Op. imp. c. Jul. II, c. 98. ML 45, 1180.

[59] C. Jul. II, c. 10, n. 33. ML 44, 697.

[60] Ep. 194, c. 10, n. 44. ML 33, 890. CSEL 57, 211, 1—4; De pecc. orig., c. 32, n. 37. ML 44, 403. CSEL 42, 196, 16—21; C. duas epist. Pelag. I, c. 13, n. 27. ML 44, 563. CSEL 60, 446, 3 sq.; Retr. I, c. 13, n. 5. ML 32, 604. CSEL 36, 61, 4—9; C. Jul. II, c. 1, n. 3; c. 3, n. 5. ML 44, 673. 675 sq.; ib. VI, c. 5, n. 12. l. c., 829; ib., c. 19, n. 60. l. c., 859; Op. imp. c. Jul. II, c. 71. ML 45, 1172; ib., c. 97, l. c., 1179; ib. III, c. 150. l. c., 1308; ib. IV, c. 95. l. c., 1394; ib. V, c. 19. l. c., 1452, etc.

[61] De pecc. orig., c. 39, n. 44. ML 44, 407. CSEL 42, 202, 7—11; cf. Serm. 166, n. 4. ML 38, 909.

[62] Cf. etiam Portalié in DTC I, 2395 sq.; Rivière in DTC VIII, 2103.

sico seu tamquam factum psychologicum manet sicut antea, et nonnisi modo omnino miraculoso tolleretur?[63]

§ 3. Concupiscentia remanens estne peccatum necne?

Certe ipsa concupiscentia in baptizatis non sanctificatur; contra Julianum Augustinus demonstrat modo satis ironico, quot et quantae absurditates sequerentur, si quis diceret, in baptizato omnia sanctificari.[64] Deleta est iniquitas, sed remansit infirmitas,[65] ipsa nempe concupiscentia, quam alibi etiam vocat languorem,[66] vitium,[67] malum,[68] immo etiam peccatum.[69] Haec omnia, quae prima fronte certe satis mira videntur, habent tamen bonam explicationem ex ipso Augustino, dummodo tota ejus doctrina in suo complexu spectetur. Etenim — „v i t i u m“ significat aliquid minus quam peccatum, nempe defectum, deordinationem, imperfectionem;[70] pariter

---

[63] De pecc. mer. I, c. 39, n. 70. ML 44, 150. CSEL 60, 70, 9—71, 4; De nupt. et concup. I, c. 25, n. 28. ML 44, 430. CSEL 42, 240, 11—241, 12; De spir. et litt., c. 36, n. 66. ML 44, 246. CSEL 60, 228, 13—20; C. Jul. VI, c. 15, n. 47. ML 44, 849 sq.

[64] C. Jul. VI, c. 17, n. 51 sq. ML 44, 852 sq.

[65] In Jo., tr. 41, n. 10. ML 35, 1698; Serm. Guelf. 33, n. 2. MA I, 578, 3—5; Serm. Wilm. 2, n. 6. MA I, 679, 2—4; Serm. 131, n. 6. ML 38, 732; Serm. 155, n. 9. l. c., 846. Similiter Op. imp. c. Jul. V, c. 19. ML 45, 1452.

[66] De contin., c. 7, n. 18. ML 40, 360. CSEL 41, 161, 24—162, 7; De Civ. Dei XV, c. 6. ML 41, 442. CSEL 40 II, 66, 1—7; Serm. 151, n. 3. n. 8. ML 38, 816. 819; Serm. 152, n. 4. ML 38, 821, etc.

[67] De contin., c. 8, n. 19 sq. ML 40, 361 sq. CSEL 41, 163, 6—165, 24; Ep. 167, c. 3, n. 10. ML 33, 737. CSEL 44, 597, 1—11; De pecc. mer. II, c. 17, n. 26. ML 44, 167. CSEL 60, 99, 3; De Civ. Dei XIX, c. 4, n. 3. ML 41, 629. CSEL 40 II, 375, 9—27; De nat. et gr., c. 52, n. 60. 62. ML 44, 276. 277. CSEL 60, 277, 20—28; 279, 1—12; Retr. I, c. 15, n. 4. ML 32, 610. CSEL 36, 76, 3—11; Op. imp. c. Jul. II, c. 57. ML 45, 1167, etc.

[68] De bono conjugali, c. 3, n. 3. ML 40, 375. CSEL 41, 191, 9—14; De Civ. Dei XXII, c. 23. ML 41, 787 sq. CSEL 40 II, 640, 9—641, 25; C. Jul. II, c. 10, n. 33. ML 44, 696 sq.; ib. VI, c. 15, n. 48. l. c., 850; Retr. II, c. 22, n. 2. ML 32, 639 sq. CSEL 36, 158, 3—10; Op. imp. c. Jul. IV, c. 48. ML 45, 1366, etc.

[69] Expos. Ep. ad Gal., n. 48. ML 35, 2139 sq.; En. in Ps. 50, n. 3. ML 36, 587; En. in Ps. 118, Serm. 2, n. 2—Serm. 3, n. 3. ML 37, 1506—1509; In Jo., tr. 41, n. 12. ML 35, 1698 sq.; Serm. 131, n. 7. ML 38, 732 sq.; Serm. Guelf. 33, n. 2. MA I, 577, 20—27; De Civ. Dei XV, c. 7, n. 2. ML 41, 444 sq. CSEL 40 II, 70, 4—71, 11; De pecc. mer. II, c. 22, n. 36. ML 44, 173. CSEL 60, 108, 12—17; De nat. et gr., c. 56, n. 66. ML 44, 280. CSEL 60, 283, 7—15; C. Jul. VI, c. 23, n. 73. ML 44, 868; Op. imp. c. Jul. VI, c. 41. ML 45, 1605, etc., etc.

[70] Cf. M a u s b a c h I, 107; 109; II, 173; 178—184; 259; F o r c e l l i n i, Totius Latinitatis Lexicon, Prati, 1858—1875, in h. v. (VI, 370). Vide etiam: C. duas epist. Pelag. IV, c. 10, n. 28. ML 44, 632. CSEL 60, 559, 4—12, ubi ex

„malum“ est terminus satis largae significationis, sub quo comprehenduntur malum culpae et malum poenae, malum morale et malum physicum, et cujus variationes interdum melius aliis linguis reddi quam aequivalenti voce latina exacte exprimi possunt.[71] Quid autem dicendum ad „peccatum“? A priori duae interpretationes essent possibiles: vel concupiscentia in renatis est peccatum sensu proprio, sed diminuto (et haec est, quam sustinet Seripandus),[72] vel est peccatum sensu improprio tantum. Si acceptamus primam, fieri non potest quin plus minusve relabamur in interpretationem Lutheri, quae non solum intrinsece absurda est, sed etiam historice falsa, ut jam supra ostensum est.[73] Restat ergo altera interpretatio, quae ut legitima probatur duplici ex capite: primo, quia Augustinus docet, motus concupiscentiae sine consensu non esse vera peccata; secundo, quia explicat nomen peccati sensu improprio convenire concupiscentiae.

1. Motus concupiscentiae sine consensu non sunt veri nominis peccata. Ante episcopatum, in Expos. quarund. prop. ex Ep. ad Rom., Augustinus haec scripsit, quae certe ambigua non sunt: „Non enim in ipso desiderio pravo, sed in nostra consensione peccamus,“[74] et in Retractationibus, ubi plura ex hoc opere corrigit, in hac propositione nihil improbat.[75] Eodem circiter tempore, in lib. 1. De Sermone Domini in monte distinguit inter „titillari delectatione carnis“ et „plene (melius: plane) consentire libidini“,[76] quod deinde sic explicat: „Nam tria sunt quibus impletur peccatum: suggestione, delectatione et consensione. Suggestio, sive per memoriam fit, sive per corporis sensus ... Quo si frui delectaverit, delectatio illicita refrenanda est ... Si autem consensio facta fuerit, plenum pec-

---

contextu apparet, etiam apostolum „vitiis carnis“ obnoxium fuisse; ergo haec „vitia“ certe non fuerunt peccata gravia.

[71] Cf. Mausbach I, 105—112; II, 173; 178—184; Forcellini, op. cit., in h. v. (IV, 32). Etiam mors dicitur malum: C. Jul. VI, c. 18, n. 55. ML 44, 855; Op. imp. c. Jul. VI, c. 27. ML 45, 1575; De Civ. Dei XIII, c. 5 sq. ML 41, 380 sq. CSEL 40 I, 620, 20—622, 19.

[72] CT XII, 546, 9—24; 550, 12—21; 551, 10—23. Cf. supra, p. 13—18.

[73] Supra, p. 90 sq.

[74] Prop. 13—18. ML 35, 2066. Cf. ib., prop. 35—49. l. c., 2069—2073; Expos. Ep. ad Gal., n. 48. ML 35, 2140.

[75] Retr. I, c. 23. ML 32, 620—622. CSEL 36, 104—110.

[76] I, c. 12, n. 33. ML 34, 1246. Eadem oppositio: Serm. Mai 125, n. 2. MA I, 354, 13—25; Serm. 131, n. 7. ML 38, 732 sq; Serm. 151, n. 4. n. 8. ML 38, 817. 819; En. in Ps. 143, n. 5 sq. ML 37, 1858 sq.

catum erit, notum Deo in corde nostro, etiamsi facto non innotescat hominibus.“[77] Neque hic locus improbatur in Retractationibus.[78] Eodem fere tempore, adhuc presbyter, in libro De continentia distinguit concupiscentias a peccatis: „. . . in isto bello quotidie minuuntur in proficientibus, non peccata solum, sed ipsae quoque concupiscentiae, cum quibus non consentiendo confligitur, et quibus consentiendo peccatur“.[79]

His textibus plures addi possunt ex decenniis sequentibus. Unus ex maxime explicitis legitur in De Civitate Dei: „. . . si illa concupiscentialis inoboedientia, quae adhuc in membris moribundis habitat, praeter nostrae voluntatis legem quasi lege sua movetur; quanto magis absque culpa est in corpore non consentientis, si absque culpa est in corpore dormientis?“[80]

Sed mutavitne Augustinus forte sententiam in controversia pelagiana? Operae pretium erit, considerare sub hoc respectu scripta antipelagiana in suo ordine chronologico.

Ubi primo loco notandum est De peccatorum meritis et remissione (a. 411/12), et ibi legimus: „Si ergo his desideriis concupiscentiae carnis illicita voluntatis inclinatione consensimus, ad hoc sanandum dicimus: Dimitte nobis debita nostra . . .“[81] Pariter in De spiritu et littera: „His constitutis peccatum erit hominis ex fide viventis, aliquando alicui delectationi illicitae consentire . . .“[82] Immo in epistola 196, scripta anno 418, haec habet: „Incipit autem homo secundum gratiam in interiori homine renovari (2. Cor. 4, 16), ut mente agat quod amat, nec carni consentiat agenti quod odit; id est non ut (si) omnino non concupiscat, sed ut post concupiscentias suas non eat. Quod quidem tam magnum est, ut si

---

[77] De Serm. Domini I, c. 12, n. 34. ML 34, 1246. Triplex iste gradus etiam distinguitur Conf. X, c. 30, n. 41 sq. ML 32, 796 sq. CSEL 33, 257, 1—258, 18; Serm. 352, n. 8. ML 39, 1558 (ubi additur quartus gradus, actio externa).

[78] Cf. Retr. I, c. 19, n. 1—5. ML 32, 614 sq. CSEL 36, 88, 1—92, 2.

[79] De contin., c. 8, n. 20. ML 40, 362. CSEL 41, 165, 21—24. Cf. ib., c. 2, n. 5. ML 40, 352. CSEL 41, 146, 19—25. (Hoc opusculum non recensetur in Retract., utpote ad sermones potius pertinens.)

[80] De Civ. Dei I, c. 25. ML 41, 39. CSEL 40 I, 45, 21—25. Cf. ib., c. 16; c. 18, n. 1. ML 41, 30. 31. CSEL 40 I, 30, 10—31, 5; 32, 6—33, 8; praeterea: De Gen. ad litt. XII, c. 15, n. 31. ML 34. 466. CSEL 28 I, 400, 5—401, 9; En. in Ps. 4, n. 6. ML 36, 80; De Trin. XII, c. 12, n. 17 sq. ML 42, 1007 sq; Serm. 58, n. 9. ML 38, 397 sq.

[81] II, c. 4, n. 4. ML 44, 153. CSEL 60, 74, 16—18; cf. ib., c. 28, n. 45. ML 44, 178. CSEL 60, 116, 1—9.

[82] De spir. et litt., c. 36, n. 65. ML 44, 244. CSEL 60, 226, 19 sq.

omni modo fieret, et quamvis insint, dum sumus in corpore mortis hujus, desideria peccati, si nulli eorum tamen adhiberemus assensum, non esset unde diceremus Patri nostro qui est in caelis: Dimitte nobis debita nostra."[83] Cum autem haec petitio remedium sit ad tollenda peccata cotidiana, venialia,[84] sequitur, sine assensu nullum esse peccatum, ne veniale quidem, in concupiscentiae motibus.

Longum esset, adducere omnes textus ex tempore controversiae pelagianae, quorum tenor semper idem est: peccatum fit, si consentitur;[85] si nec opus malum perpetratur, nec mala cogitatione homo delectatur, peccatum non fit.[86] Sufficiat pauca addere ex ultimo Augustini scripto, ex Opere imperfecto contra Julianum. Objicit ibi Julianus: „Quod vero quasi acutule posuisti, legem quidem peccati esse in membris nostris, sed tunc habere peccatum, quando consentimus; tunc vero solum praelium suscitare, quando non consentimus, et indicere miseriam pace turbata; quis non prudens pugnare perspiciat?... nam si non peccat, nec lex peccati est; si lex peccati est, peccat; si vero peccat, solum quia est, quomodo ei obsisti potest ut non peccetur?"[87] Respondet Augustinus: „Lex peccati dicitur, quia suadet peccata atque, ut ita dixerim, jubet, et si ei mente serviatur, sine excusatione peccatur. Peccatum dicitur, quia peccato facta est, appetitque peccare. Reatus ejus regeneratione solutus est, conflictus ejus ad agonem relictus est.

---

[83] Ep. 196, c. 2, n. 5. ML 33, 893. CSEL 57, 219, 3—11. Eadem doctrina: De perfect. justitiae, c. 21, n. 44. ML 44, 316. CSEL 42, 46, 27—48, 6; En. in Ps. 118, Serm. 3, n. 2. ML 37, 1507 sq; Op. imp. c. Jul. I, c. 101. ML 45, 1117.

[84] Vide infra, p. 106 sq. 118. 120 sq.

[85] Serm. 152, n. 4. ML 38, 821; Serm. 155, n. 9. n. 13. l. c., 846. 848; Serm. Guelf. 33, n. 3. MA I, 578, 27—579, 27; Serm. Morin 4, n. 6. MA I, 605, 11—20; De gestis Pelagii, c. 4, n. 12. ML 44, 326 sq. CSEL 42, 63, 10—64, 11; De pecc. orig., c. 39 sq., n. 44. ML 44, 407. CSEL 42, 201, 23—202, 19; De nupt. et concup. I, c. 23, n. 25. ML 44, 428. CSEL 42, 237, 23—238, 13; ib., c. 28 sq., n. 31. ML 44, 431. CSEL 42, 243, 9—25; ib. II, c. 2, n. 6. ML 44, 440. CSEL 42, 258, 5—13; C. duas epist. Pelag. I, c. 10, n. 20 sq. ML 44, 560 sq. CSEL 60, 441, 13—442, 20; ib. III, c. 4, n. 5. ML 44, 590. CSEL 60, 490, 3—11; C. Jul. II, c. 10, n. 33. ML 44, 696; ib. IV, c. 2, n. 12. l. c., 742; V, c. 3, n. 11. l. c., 789; VI, c. 15, n. 47. l. c., 849; De Trin. XIII, c. 18, n. 23. ML 42, 1032; De Civ. Dei XIV, c. 23, n. 3. ML 41, 431. CSEL 40 II, 48, 29—49, 7; ib. XIX, c. 4, n. 4. ML 41, 629. CSEL 40 II, 376, 6—8; Op. imp. c. Jul. IV, c. 41. ML 45, 1361; Retr. I, c. 15, n. 2. ML 32, 609. CSEL 36, 73, 14—74, 5.

[86] De Trin. XII, c. 12, n. 17 sq. ML 42, 1007 sq; De gestis Pelagii, c. 4, n. 12. ML 44, 327. CSEL 42, 63, 10—64, 11; Serm. Guelf. 33, n. 3. MA I, 579, 5—27; Serm. 98, n. 6. ML 38, 594; Serm. 128, n. 12 sq. l. c., 719 sq.

[87] Op. imp. c. Jul. I, c. 71. ML 45, 1094 sq.

Malum est, clarum est. Non viribus nostrae voluntatis, ut putas, huic obsistimus, nisi divinitus adjuvemur. Debellandum hoc malum est, non negandum; vincendum est, non defendendum. Postremo, si ei consentis, malum agnosce peccando; si ei resistis, malum agnosce pugnando.“[88] Quod est aliis verbis: argumentum tuum, Juliane, valeret, si ego dicerem ipsam concupiscentiam esse peccatum sensu proprio. Sed non est ita; cum consensu est peccatum sensu proprio, sine consensu est peccatum sensu improprio, in utroque tamen casu malum, quod negare non potes; est ergo argumentatio tua omnino futilis. — Quid clarius?

Coronidis instar unus adhuc sit textus ex eodem opere: „...illius (scil. Christi) virtus erat, eam (concupiscentiam) non habere; nostra virtus est, ei non consentire; et in hoc illum imitari, ut quemadmodum ipse peccatum non fecit, eam non habendo, ita nec nos faciamus, non ei consentiendo.“[89]

2. Concupiscentia ejusque motus in renatis sunt peccata sensu improprio.[90]

Ex supradictis jam patet, concupiscentiam in renatis non esse veri nominis peccatum, quamvis antea, cum reatu conjuncta, fuerit tale.[91] Nunc breviter videndum remanet, quo sensu vocari possit peccatum. *a)* Atque primum quidem, „modo quodam loquendi peccatum vocatur, quod et peccata facta est...“[92] „Sic autem vocatur peccatum, quia peccato facta est, cum jam in regeneratis non sit ipsa peccatum, sicut vocatur lingua locutio, quam facit lingua; et manus vocatur scriptura, quam facit manus.“[93] Vocatur peccatum, qui poena peccati est.[94] *b)* Deinde, quia allicit

---

[88] Ib. ML 45, 1096.

[89] Ib. IV, c. 48. l. c., 1366. Cf. etiam ib. II, c. 226 l. c., 1243.

[90] Cf. Mausbach II, 173; 180—184; 213—216.

[91] Cf. De nuptiis et concup. I, c. 23, n. 25. ML 44, 428. CSEL 42, 237, 23—26. 238, 8 sq.; C. duas epist. Pelag. I, c. 13, n. 27. ML 44, 563. CSEL 60, 445, 19—446, 20: „jam non est peccatum...“ Unde patet, omnino legitimam Augustini interpretationem in Concilio Tridentino dedisse C. Mussum, episcopum Bituntinum, cum diceret, concupiscentiam in renatis vocari peccatum, „non quia sit, sed quia fuit peccatum“, et immerito Seripandum huic expositioni contradixisse (CT XII, 553, 5—16); cf. supra, p. 16, nota 25.

[92] De nupt. et concup. I, c. 23, n. 25. ML 44, 428. CSEL 42, 238, 3 sq.

[93] Ib. CSEL 42, 238, 8—10. Eadem comparatio adhibetur: De lib. arb. III, c. 19, n. 54. ML 32, 1297; C. duas epist. Pelag. I, c. 13, n. 27. ML 44, 563. CSEL 60, 445, 21 sq. Similiter: Retr. I, c. 15, n. 2. ML 32, 608 sq. CSEL 36, 73, 2—74, 5; Op. imp. c. Jul. I, c. 71. ML 45, 1096; ib. II, c. 226, l. c., 1243.

[94] Serm. 30, n. 4. ML 38, 189; Serm. 128, n. 8. l. c., 717; De contin. c. 7, n. 18. ML 40, 360. CSEL 41, 161, 24—162, 7; Ad Simpl. I, q. 1, n. 10. ML 40,

ad peccandum, est r a d i x p e c c a t i, fomes peccati.[95] Interdum utraque consideratio conjungitur: quia est „filia et mater peccati.“[96] *c)* Tandem vocatur nomine peccati vel similibus, quia est o b j e c t i v a e t m a t e r i a l i s d e o r d i n a t i o. Sic enim interpretandi sunt aliqui loci, qui de concupiscentia in renatis agunt,[97] ne faciamus Augustinum sibi ipsi contradicentem. Obscuritas ex terminologia nondum plene elaborata maxime apparet in usu vocis „iniquitas“, quia interdum affirmat in baptismo deletam esse totam iniquitatem,[98] interdum concupiscentiam etiam in baptizatis nomine iniquitatis appellat, „quia iniquum est ut caro concupiscat adversus spiritum“,[99] id est, quia non aequum est, quia imperfectio et deordinatio est, carnem non sequi mentem, sed contra eam rebellare.

Notetur etiam, in augustiniana d e f i n i t i o n e p e c c a t i, quae communiter recepta est, „factum vel dictum vel concupitum aliquid

---

106; De Gen. ad litt. IX, c. 10, n. 18. ML 34, 399 sq. CSEL 28 I, 280, 9—13; ib. X, c. 12, n. 21. ML 34, 417. CSEL 28 I, 310, 25—311, 2; De Civ. Dei XIII, c. 13. ML 41, 386. CSEL 40 I, 631, 13—632, 3; ib. XV, c. 6. ML 41, 442 sq. CSEL 40 II, 66 sq.; De pecc. orig., c. 34, n. 39. ML 44, 405. CSEL 42, 198, 5—20; C. Jul. V, c. 9, n. 36. ML 44, 805 sq; Op. imp. c. Jul. II, c. 38. ML 45, 1158; ib. IV, c. 41. l. c., 1360; ib. VI, c. 6. c. 12. l. c., 1511. 1522—1524, etc.

Peccati poenam esse concupiscentiam, non sic est intelligendum, ac si esset extra essentiam peccati originalis („originati“) (cf. M a u s b a c h II, 198—205, ubi complet interpretationem datam a K l e u t g e n, Theologie der Vorzeit, 2. Aufl. II, 656 sq.). Proinde nihil obstat, quominus in non renatis concupiscentia sit veri nominis peccatum, utpote pars materialis peccati originalis, dum in renatis „jam non“ sit peccatum. Intelliguntur etiam illi loci, ubi Augustinus docet, concupiscentiam esse poenam peccati, et peccatum, et interdum addit: etiam causam peccati (v. g. De pecc. mer. II, c. 22, n. 36. ML 44, 173. CSEL 60, 108, 16 sq.; Op. imp. c. Jul. I, c. 47. ML 45, 1068; et alibi passim in eodem opere; cf. infra, p. 99, nota 105).

[95] De contin., c. 3, n. 8. ML 40, 354. CSEL 41, 149, 13—23; De Gen. ad litt. X, c. 12, n. 21. ML 34, 417. CSEL 28 I, 310, 22—311, 10; C. duas epist. Pelag. I, c. 10, n. 18. ML 44, 560. CSEL 60, 440, 4—22; Ep. 167, c. 3, n. 10. ML 33, 737. CSEL 44, 597, 5—598, 2; Serm. 155, n. 1. ML 38, 841; De nupt. et conc. I, c. 23, n. 25. ML 44, 428. CSEL 42, 238, 3 sq; C. Jul. VI, c. 23, n. 73. ML 44, 868; Op. imp. c. Jul. I, c. 71. ML 45, 1096; ib. II, c. 226. l. c., 1243, etc.

[96] De nupt. et concup. I, c. 24, n. 27. ML 44, 429. CSEL 42, 240, 2—10.

[97] C. Jul. V, c. 3, n. 8. ML 44, 787. Op. imp. c. Jul. II, c. 38. ML 45, 1158. Cf. M a u s b a c h II, 182—184. Ad Simpl. I, q. 1, n. 2—5 (ML 40, 103 sq.) „peccatum“ eodem sensu intelligendum videtur; cf. M a u s b a c h II, 228 sq.

[98] In Jo., tr. 41, n. 10. ML 35, 1698. Cf. supra, p. 93, nota 65.

[99] C. Jul. II, c. 5, n. 12. ML 44, 682; ib. V, c. 4, n. 16. l. c., 793; ib. VI, c. 19, n. 62. l. c., 861 (ubi in eodem contextu occurrit duplici sensu!); cf. M a u s b a c h II, 182 sq.

contra legem aeternam“[100] (si tamen ex intentione Augustini valet de omni peccato),[101] etiam ipsos motus concupiscentiae comprehendi posse; tunc „peccatum“ interdum sumitur sensu strictiore, interdum sensu largiore.[102]

Sic videntur omnia dicta Augustini de „peccato concupiscentiae“ inter se conciliari posse. Non obstantibus quibusdam modificationibus sententiae suae, v. g. interpretationis cap. 7. Epistolae ad Romanos,[103] semper tenuit id, quod essentiale est, nempe sine consensu motus concupiscentiae non esse veri nominis peccata.

Quod ultimo loco etiam confirmatur ex discussione de definitione peccati, quam invenimus in Opere imperfecto contra Julianum. Julianus objicit Augustino, eum in libro De duabus animabus definivisse peccatum „voluntas admittendi vel retinendi quod justitia vetat, et unde liberum est abstinere,“ et ex hac definitione argumentatur contra peccatum originale.[104] Augustinus ei respondet: „Hic peccatum definitum est quod tantummodo peccatum est, non quod etiam poena peccati.“[105] Sed quid de illo, quod est etiam poena peccati, id est in concreto: de peccato originali seu concupiscentia? Omnino concedit „non esse posse sine voluntate delictum; quandoquidem etiam originale delictum non habet causam, nisi ex illius voluntate, a quo ipsa origo deducitur . . . Potuisti . . . dicere secundum intentionem tuam, non esse posse delictum sine illius cujus delictum est, propria voluntate; quod si dixisses, nequaquam concederem; sine propria enim nascentis voluntate trahitur originale peccatum . . .[106] „Itaque etiam peccatum Adae, quoniam ipsum est quod originaliter manet in posteris ejus, nisi quibus in Christo remittitur, profecto cum dicitur et in ipsis sine voluntate non esse, ad illius voluntatem refertur, qua factum est, ut esset, quod manendo et in posteris esset . . .“[107]

---

[100] C. Faustum XXII, c. 27. ML 42, 418. CSEL 25 I, 621, 12 sq.

[101] Quod negatur ab E. Neveut, Formules augustinienses: La définition du péché, in Divus Thomas (Piacenza) 1930, 617—622. Secundum hunc auctorem Augustinus hic nonnisi peccata contra naturam definire intendit.

[102] Cf. etiam Merlin 84—88.

[103] Vide textus collectos apud Mausbach II, 213 sq.

[104] Op. imp. c. Jul. I, c. 44—47. ML 45, 1066 sq., et alibi passim in eodem opere.

[105] Ib., c. 44. ML 45, 1066. Item: ib., c. 47. l. c., 1067 sq.; c. 104. l. c., 1118; ib. II, c. 38. l. c., 1158; VI, c. 17. l. c., 1539 sq., etc.

[106] Ib. IV, c. 95. ML 45, 1394.

[107] Ib., c. 96. l. c., 1395. Item: III, c. 157. l. c., 1312 „nullum est nisi voluntate peccatum.“ Cf. etiam ib. IV, c. 97—104. l. c., 1395—1401; c. 116. l. c., 1410; V, c. 40. l. c., 1476 sq.

Unde sic argui potest: Nullum est peccatum in homine sine aliqua voluntate, sive propria, sive voluntate Adae capitis; atqui motus concupiscentiae, qui sunt in renatis citra voluntatis consensum, non fiunt nec voluntate propria nec voluntate Adae, quia connexio cum voluntate ejus, qualiscumque fuerit, per regenerationem soluta est; ergo nullo modo sunt veri nominis peccata.

Sed nonne in non renatis ipsi motus concupiscentiae etiam sine consensu veri nominis peccata sunt; et cum physice iidem sint ac in renatis, ubi est differentia, nisi in non-imputatione?

Quaestio de vita morali non renatorum hoc loco ex professo tractari nequit; sufficiat haec breviter annotasse: Si secundum Augustinum ipsi motus concupiscentiae in eis sunt peccata (quod tamen difficile sustineri potest),[108] hoc ideo, quia sunt culpabiles in causa, voluntate Adae capitis,[109] cujus culpa implicati sunt non renati; sed multo melius sic intelligitur status eorum: ipsi, sine gratia, patiuntur servitutem peccati, quae est aliqua (moralis) necessitas c o n s e n t i e n d i, saltem interdum, suggestionibus concupiscentiae.[110] Renati autem habent gratiam ad denegandum consensum; et haec est differentia realis et intrinseca inter utrumque statum.

Manet ergo probatum: C o n c u p i s c e n t i a, quae in non renatis simul cum reatu suo est veri nominis peccatum, i n r e n a t i s, r e a t u s u b l a t o, j a m n o n e s t p e c c a t u m, quamvis physice eadem sit. Ideo dicendum est, qualitatem moralem concupiscentiae intrinsecus mutari per sublationem reatus vel per infusionem gratiae justificationis (quae duo inter se necessario connectuntur). Ulterius Augustinus rem non explicat. Si cum S. Thoma privatio justitiae originalis concipitur ut forma concupiscentiae,[111] hoc non videtur menti Augustini contrarium, quamvis ipse ad talem solutionem non pervenerit.[112]

In expositione supra posita textus citati a Seripando[113] pro

---

[108] Cf. M a u s b a c h II, 214—218.

[109] Cf. CT V, 579, 34—52; 614, 16—23; 628, 9—17; 651, 28—30.

[110] Cf. M a u s b a c h II, 218—226; 240—258.

[111] Cf. B o y e r, De Deo Creante, 404—407; M a u s b a c h II, 205, ubi indicantur textus S. T h o m a e.

[112] Augustinum tamen non longe abesse ab hoc modo concipiendi habitudinem inter concupiscentiam et reatum, defendit M a u s b a c h (II, 198—207), considerando causalitatem reciprocam, quae secundum Augustinum viget inter utrumque.

[113] CT XII, 544, 11—552, 33.

maxima parte jam explicati vel praeoccupati sunt.[114] Remanent solummodo accuratius considerandi illi textus, ubi Augustinus loquitur de praecepto: Non concupisces; de quibus Seripandus „... ubi, obsecro, Augustinus aliter sentit de concupiscentia, quam hoc, quod ubique in suis libris repetit, praeceptum nobis esse lege id, quod in hac vita implere non possumus? Quid illud? Non ut non consentiamus pravis motibus et stimulis concupiscentiae, sed ut eos omnino non habeamus; hoc enim est nullam habere concupiscentiam. Et propterea docet, hoc lege praecipi ...“[115]

Negari non potest, talia vel his similia saepe apud Augustinum inveniri;[116] sit unum exemplum: „Velle enim adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Hoc ideo dictum est, quia tunc perficitur bonum, quando desideria mala nulla sunt: sicut tunc perficitur malum, quando malis desideriis obeditur. Quando autem sunt quidem, sed non eis obeditur; nec malum perficitur, quia non eis obeditur, nec bonum, quia sunt: sed fit ex aliqua parte bonum, quia concupiscentiae malae non consentitur; et ex aliqua parte remanet malum, quia vel concupiscitur. Ideo ergo Apostolus non ait facere bonum sibi non adjacere, sed perficere. Multum enim boni facit, qui facit quod scriptum est. Post concupiscentias tuas non eas (Eccl. 18, 30), sed non perficit, quia non implet quod scriptum est: Non concupisces“ (Exod. 20, 17).[117]

Quomodo haec intelligenda sunt, cum homini impossibile sit, non habere motus concupiscentiae, et cum Augustinus alibi doceat:

---

[114] CT XII, 551, 18 sq. legitur: „Docet enim (Augustinus), in illis motibus et pravis affectibus inesse aliqua ratione peccatum, etiam cum pugnamus et vincimus: Lib. V. C. Jul., c. 5.“ Attamen in toto illo capite (ML 44, 795—798) nihil omnino ad rem invenitur, nisi forte quod n. 22 (col. 797) dicit: „Discerne ergo mala quae per patientiam sustinemus, ab eis malis quae per continentiam refrenamus“, quod certe non sufficit ad probandum intentum, maxime si spectetur etiam contextus. Idem dicendum de textu C. Jul. V, c. 7, n. 27. ML 44, 801 (CT XII, 546, 10—17).

[115] CT XII, 551, 12—17. Cf. propositiones Baji 50. 51. 75. 76. (Denzinger 1050. 1051. 1075. 1076).

[116] Praeter locos a Seripando adductos (vide CT XII, 545, 7—38; 551, 17—23; 670, 34—40) cf. Serm. 151, n. 3. ML 38, 816; Serm. 170, n. 5 sq. l. c., 929 sq.; De nat. et gr., c. 62, n. 72. ML 44, 283. CSEL 60, 288, 2—18; De nupt. et concup. I, c. 23, n. 25. ML 44, 428. CSEL 42, 237, 23—238, 2; Op. imp. c. Jul. IV, c. 57 sq. ML 45, 1373 sq., etc.

[117] De nupt. et concup. I, c. 29, n. 32. ML 44, 431 sq. CSEL 42, 243, 27—244, 11.

„Non igitur Deus impossibilia jubet, sed jubendo admonet, et facere quod possis, et petere quod non possis“;[118] cum clare doceat, illos motus absque consensu non esse peccata; si numquam consentiremus, non esse unde diceremus: Dimitte nobis debita nostra?[119] Quomodo ergo possunt esse transgressio legis?

Solutio ipso loco citato innuitur; prosequitur enim: „Ad hoc ergo dixit lex: Non concupisces, ut nos in hoc morbo invenientes jacere, medicinam gratiae quaereremus: et in eo praecepto sciremus et quo debeamus in hac mortalitate proficiendo conari, et quo possit a nobis in illa immortalitate beatissima perveniri: nisi enim quandoque perficiendum esset, numquam jubendum esset.“[120]

En ideam Augustini, quae intelligi non potest absque respectu duplicis termini, status paradisiaci et vitae aeternae. In illo nulla erat concupiscentia, in hac nulla erit, quia gratia Christi restituit omnia, quae perdidit Adam, sed duplici gradu. Haec destinatio hominis, haec voluntas Dei exprimitur praecepto illo. „Non concupisces“, ut homo sciat, se adhuc indigere gratia Christi, et per fidelem cooperationem conetur vim concupiscentiae minuere.

Sicut integritas duplici gradu restituitur, sic etiam praeceptum illud „Non concupisces“ duplici gradu impletur. Primo fit, quod praeceptum est, secundo perficitur. Primus gradus est continentia, qua cum malis desideriis adhuc inexistentibus confligitur: „Quod operum lex minando imperat, hoc fidei lex credendo impetrat. Illa dicit, Non concupisces; ista dicit, Cum scirem quia nemo esse potest continens nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapientiae, scire cujus esset hoc donum, adii Dominum, et deprecatus sum“ (Sap. 8, 21).[121] In hoc textu supponi videtur, per continentiam, per denegatum consensum, aliquomodo satisfieri huic mandato; alibi similiter.[122]

Sed hoc bonum est adhuc imperfectum, nam perfectio boni

---

[118] De nat. et gr., c. 43, n. 50. ML 44, 271. CSEL 60, 270, 20—22. Cf. ib., c. 59, n. 69. ML 44, 281. CSEL 60, 285, 6—23; c. 69, n. 83. ML 44, 288—290. CSEL 60, 297, 19—298, 20; De gr. et lib. arb., c. 16, n. 32. ML 44, 900 sq.; Mausbach II, 251 sq.

[119] Vide supra p. 95 sq.

[120] De nupt. et concup. I, c. 29. n. 32. ML 44, 432. CSEL 42, 244, 11—17.

[121] De spir. et litt., c. 13, n. 22. ML 44, 214. CSEL 60, 175, 13—17.

[122] Cf. ib., c. 29, n. 50 sq. ML 44, 232. CSEL 60, 206, 25—208, 15; Ep. 157, c. 2, n. 9. ML 33, 677. CSEL 44, 454, 21—455, 21; Serm. 145, n. 3—6. ML 38, 792—796; Serm. 153, n. 5—11. l. c., 827—831; De gr. et lib. arb., c. 16, n. 32. ML 44, 900, etc.

est consumptio omnis mali, sicut perfecta sanitas non potest esse cum aliqua infirmitate,[123] et concupiscentia, quamvis non veri nominis peccatum, tamen est infirmitas, languor, malum, ideoque aliquando auferetur a nobis; tunc perficietur bonum, quando jam non erit nec peccatum nec incitamentum peccati.[124]

In praecepto illo, sicut Augustinus intelligit, utrumque continetur: mandatum stricte dictum, ut homo pugnet contra concupiscentiam et velit eam non habere,[125] et decretum divinum, aliquando eum liberandi a tota ista miseria. Ad primum quod attinet, homo potest satisfacere, potest pugnare saltem ita, ut non mortaliter feriatur, id est, graviter peccet; alterum debet suspirare et expectare a bonitate divina, et interim concupiscentiam minuere, quantum potest, per virtutis exercitium. Sed donec perveniat ad illum beatissimum finem, semper adhuc subrepunt ei motus concupiscentiae, quae non sunt transgressiones legis (in sua prima acceptione),[126] sed imperfectiones praesentis vitae, quae ostendunt „legem“ in secunda acceptione, id est, decretum divinum, nondum executioni mandatum esse, sed non constituunt culpam; sicut etiam praeceptum caritatis in hac vita non potest totaliter adimpleri[127] et tamen ille defectus non est peccatum: „Neque enim si esse nondum potest tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni plenae perfectaeque debetur, jam culpae deputandum est. Aliud est enim totam nondum assequi caritatem, aliud nullam sequi cupiditatem.“[128] „Cur ergo non praeciperetur homini ista perfectio (sc. ut diligat Deum ex toto corde et ex tota anima), quamvis eam in hac vita nemo habeat? Non enim recte curritur, si quo currendum est nesciatur. Quomodo autem sciretur, si nullis praeceptis ostenderetur?“[129] Aliis verbis: sicut dilectio Dei

---

[123] De contin., c. 8, n. 19—21. ML 40, 361. 363. CSEL 41, 163, 6—167, 9; In Jo., tr. 41, n. 12. ML 35, 1699; En. in Ps. 146, n. 6. ML 37, 1902; De Civ. Dei XIX, c. 4, n. 3. ML 41, 629. CSEL 40 II, 375, 16—29; De perf. justitiae, c. 3, n. 8 sq.; c. 18, n. 39. ML 44, 295 sq. 313. CSEL 42, 7, 17—9, 8. 39, 22—41, 27, etc.

[124] Cf. Ep. 196, c. 2, n. 6. ML 33, 893. CSEL 57, 219, 16—220, 6.

[125] De nupt. et concup. I, c. 27, n. 30. ML 44, 431. CSEL 42, 242, 17—243, 8; Serm. 30, n. 4. ML 38, 189; Serm. 128, n. 10 sq. l. c., 718 sq., etc.

[126] Cf. De nupt. et concup. I, c. 23, n. 25. ML 44, 428. CSEL 42, 237, 16—238, 13, ubi in eodem contextu asseritur, non impleri legem „non concupisces“ et tamen motum concupiscentiae sine consensu non esse peccatum. Cf. etiam C. Jul. V, c. 3, n. 11. ML 44, 789.

[127] De perf. justitiae, c. 8, n. 19. ML 44, 301. CSEL 42, 17, 24—18, 19.

[128] De spir. et litt., c. 36, n. 65. ML 44, 244. CSEL 60, 225, 19—22.

[129] De perf. justitiae, c. 8, n. 19. ML 44, 301. CSEL 42, 18, 9—12.

„ex toto corde, et ex tota anima“, id est, intensive summa, est finis legis, non autem materia legis[130] — sic etiam libertas ab omnibus motibus concupiscentiae est finis legis, non materia legis.

Manet ergo firmum, concupiscentiam qua talem non esse veri nominis peccatum; quomodo tamen sit causa peccatorum et sic indirecte diminuat justitiam praesentis vitae, capite sequenti disserendum est.

Caput II.

De imperfectione justitiae inhaerentis, seu de peccatis, quae etiam a justis committuntur.

§ 1. Principia fundamentalia.

1. Indubium est, baptismatis sacramento omnia peccata tolli et omnino deleri. En quomodo Augustinus alloquitur catechumenos: „Ecce venturi estis ad fontem sanctum, diluemini baptismo salutari, lavacro regenerationis renovabimini, eritis sine ullo peccato ascendentes de illo lavacro. Omnia quae vos praeterita persequebantur, ibi delebuntur. Aegyptiis insequentibus Israelitas similia erunt vestra peccata; persequentibus, sed usque ad mare Rubrum. Quid est, usque ad mare Rubrum? Usque ad fontem Christi cruce et sanguine consecratum ... Cum vos intraveritis, evadetis, illa delebuntur; quomodo evadentibus per siccum Israelitis aqua cooperuit Aegyptios. Et quid dixit Scriptura? Unus ex eis non remansit (Ps. 105, 11). Peccasti multa, peccasti pauca; peccasti magna, peccasti parva; quid ad: Unus ex eis non remansit?“[1] Et alibi: „Deleta sunt cuncta peccata in sacramento Baptismatis, cuncta prorsus, dicta, facta, cogitata, cuncta deleta sunt.“[2] „Quid enim illa concupiscentia carnis egit in nobis praeteritorum peccatorum, sive in factis, sive in dictis, sive in cogitationibus: totum deletum est sacro Baptismate.“[3] „Quantum quidem ego sapere possum, languoris illius et infirmitatis, unde illicita desideria commoventur, quod peccatum appellat Apostolus (Rom. 7, 7—25), universus reatus sacramento

[130] Cf. S. Thomam, Summa theol. II. II. 184, 3; Garrigou-Lagrange, Perfection chrétienne et contemplation (Saint Maximin, Var, 1923) I, 215—227.

[1] Serm. Guelf. 1, n. 9. MA I, 448, 11—26. Cf. Serm. 213, n. 8. ML 38, 1064; Serm. Wilm. 2, n. 6. MA I, 678, 31—679, 2.

[2] Serm. 131, n. 6. ML 38, 732.

[3] Serm. 155, n. 9. ML 38. 846.

Baptismatis est solutus, cum omnibus quae illi oboedientes fecimus, diximus, cogitavimus . . .“[4]

2. Sed fieri non potest, ut nullum omnino deinceps committatur peccatum. „Cum baptizati fueritis, tenete vitam bonam in praeceptis Dei, ut baptismum custodiatis usque in finem. Non vobis dico quia sine peccato hic vivetis; sed sunt venialia, sine quibus vita ista non est.“[5] Qui baptizatur, totus mundatur; sed dum vivit in hoc saeculo, non potest vitare omne inquinamentum, sicut pulvis adhaeret pedibus ejus, qui terram calcat.[6] „Quamdiu ergo peregrinantes a Domino, per fidem ambulamus, non per speciem (2. Cor. 5, 6. 7), unde dictum est, Justus ex fide vivit, (Habac. 2, 4); haec est nostra in ipsa peregrinatione justitia, ut ad illam perfectionem plenitudinemque justitiae, ubi in specie decoris ejus jam plena et perfecta caritas erit, nunc ipsius cursus rectitudine et perfectione tendamus, castigando corpus nostram et servituti subjiciendo, et eleemosynas in dandis beneficiis, et dimittendis quae in nos sunt commissa peccatis, hilariter et ex corde faciendo, et orationibus indesinenter instando; et haec faciendo in doctrina sana, qua aedificatur fides recta, spes firma, caritas pura. Haec est nunc nostra justitia, qua currimus esurientes et sitientes ad perfectionem plenitudinemque justitiae, ut ea postea saturemur.“[7] Justitia nostra est vera, sed imperfecta;[8] boni sumus, sed aliquatenus etiam mali;[9] spirituales, sed simul aliquo modo

[4] En. in Ps. 118, Serm. 3, n. 2. ML 37, 1507. Similiter: Serm. 158, n. 4. ML 38, 864; Serm. 181, n. 1. ML 38, 979; In Jo., tr. 41, n. 10. ML 35, 1698; ib., tr. 124, n. 5. l. c., 1973; De pecc. mer. II, c. 7, n. 9. ML 44, 156. CSEL 60, 80, 9—19; Ench., c. 43; c. 64. ML 40, 253. 262; Op. imp. c. Jul. I, c. 101; II, c. 97. ML 45, 1117. 1179, etc. Cf. Mausbach II, 187 sq.

[5] De symb. ad catech., c. 7, n. 15. ML 40, 636.

[6] In Jo., tr. 56, n. 3—5; tr. 57, n. 6. ML 35, 1788 sq. 1792. Cf. etiam Serm. 56, n. 11. ML 38, 381 sq.

[7] De perf. justitiae, c. 8, n. 18. ML 44, 299 sq. CSEL 42, 15, 16—16, 3. Similiter: Serm. Morin 11, n. 9 sq. MA I, 631, 26—632, 7; De Civ. Dei XXI, c. 24, n. 5. ML 41, 740. CSEL 40 II, 562, 15—28; Serm. 169, n. 16. n. 18. ML 38, 924—926, etc.

[8] De Civ. Dei XIX, c. 27. ML 41, 657. CSEL 40 II, 421, 21—422, 6; Serm. Denis 18, n. 2 sq. MA I, 91, 13—92, 31; C. duas epist. Pelag. III, c. 7, n. 18—23. ML 44, 601—606. CSEL 60, 507, 8—515, 26; De Trin. IV, c. 3, n. 5. ML 42, 890; Retr. II, c. 33. ML 32, 644. CSEL 36, 171, 1—5; De pecc. mer. II, c. 13, n. 18. ML 44, 162. CSEL 60, 90, 13—20; Serm. 9, n. 21. ML 38, 91; De nat. et gr., c. 38, n. 45. ML 44, 269. CSEL 60, 266, 24—267, 2, etc.

[9] Serm. 90, n. 2 sq. ML 38, 559 sq; Ep. 153, c. 5, n. 12—14. ML 33, 658 sq. CSEL 44, 408, 16—412, 5; De perf. just., c. 14, n. 32. ML 44, 308 sq. CSEL 42, 32, 11—33, 21.

carnales;[10] filii Dei, sed adhuc filii hujus saeculi, quamvis non filii diaboli;[11] justi et simul peccatores.[12] Textus Scripturae, quem prae ceteris Augustinus ad hoc probandum innumeris fere locis adducit, est 1. Jo. 1, 8: „Si dixerimus quia (Vulg. quoniam) peccatum non habemus, nos ipsos seducimus (Vulg. ipsi nos seducimus), et veritas in nobis non est."

Solus inter omnes homines sine ullo peccato est Christus Dominus noster[13] ejusque sanctissima Mater; praeter eos nemo ex omnibus illis, qui sive in Vetere sine in Novo Testamento dicuntur sancti et justi: „Excepta itaque sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem: unde enim scimus quid ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere ac parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum? hac ergo Virgine excepta, si omnes illos sanctos et sanctas, cum hic viverent, congregare possemus et interrogare utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus? utrum hoc quod iste (sc. Pelagius) dicit, an quod Joannes apostolus? Rogo vos, quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, (nonne) una voce clamassent: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est?"[14]

Aliud argumentum, quod vix minus frequenter repetit, est petitio orationis dominicae: „Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris" (Mt. 6, 12). Sint specimina quaedam: „Ecce veniet hora orationis, oratura est tota Ecclesia ... veni ad orationem dominicam ... veni, dic: Pater noster ... Sequere, et dic: Dimitte nobis debita nostra ... Oratio ista Ecclesiae est, fidelium est, an catechumenorum? Certe utique regeneratorum

---

[10] Serm. 154, n. 4—15. ML 38, 834—839.

[11] De pecc. mer. II, c. 7, n. 9; c. 8, n. 10. ML 44, 156—158. CSEL 60, 79, 16—82, 13; De nupt. et concup. I, c. 18, n. 20. ML 44, 425. CSEL 42, 232, 4—233, 19; C. Jul. VI, c. 13, n. 40. ML 44, 844; C. duas epist. Pelag. III, c. 3, n. 4. 5. ML 44, 589—591. CSEL 60, 488—491, etc.

[12] En. in Ps. 140, n. 14—18. ML 37, 1824—1828; Serm. 158, n. 4—6. ML 38, 864 sq.; Serm. 159, n. 1 sq. l. c., 867 sq.; Ep. 167, c. 3, n. 13. ML 33, 738. CSEL 44, 600, 9—601, 9.

[13] De pecc. mer. II, c. 20, n. 34. ML 44, 171. CSEL 60, 105, 5—11; ib. III, c. 13, n. 23. ML 44, 200. CSEL 60, 150, 1—13; De spir. et litt., c. 1, n. 1. ML 44, 201. CSEL 60, 155, 1—21; De nat. et gr., c. 14, n. 15. ML 44, 253. CSEL 60, 241, 19—242, 6.

[14] De nat. et gr., c. 36, n. 42. ML 44, 267. CSEL 60, 263, 23—264, 11.

est, id est, baptizatorum; postremo, quod totum superat, filiorum est. Nam si non est filiorum, qua fronte dicitur: Pater noster, qui es in caelis?... Ecce tota Ecclesia dicit, Dimitte nobis debita nostra. Habet ergo maculas et rugas. Sed confessione ruga extenditur, confessione macula abluitur. Stat Ecclesia in oratione, ut mundetur confessione; et quamdiu hic vivitur, sic stat."[15] „Sed forte Apostoli sancti, primi, summi arietes gregis, pastoris membra pastores, forte ipsi non habebant peccatum. Vere habebant et ipsi, habebant; non irascuntur, quia confitentur. Ego non auderem. Primum ipsum Dominum audi dicentem Apostolis: Sic orate... Et inter cetera quae jussit orare, et hoc posuit: Dimitte nobis debita nostra... Quid dicunt Apostoli? Quotidie sibi debita petunt dimitti. Debitores intrant, absoluti exeunt, et ad orationem debitores redeunt. Ista vita non est sine peccato, ut quoties oratur, toties peccata dimittantur."[16] „Debitores enim sumus, non pecuniarum, sed peccatorum. Dicis modo forte: Et vos? Respondemus: Et nos. Et vos, episcopi sancti, debitores estis? Et nos debitores sumus. Et vos? Absit, Domine, noli tibi facere injuriam. Non injuriam mihi facio, sed verum dico: debitores sumus (cit. 1. Jo. 1, 8)... Et baptizati sumus, et debitores sumus. Non quia aliquid remansit quod nobis in Baptismo non dimissum fuerit; sed quia vivendo contrahimus quod quotidie dimittatur."[17] „...quisquis es, homo es; justus sis licet, homo es; laicus sis, homo es; monachus sis, homo es; clericus sis, homo es; episcopus sis, homo es; apostolus sis, homo es. Vocem apostoli audi: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus..."[18] „...omnes omnino christianos, ab spiritualibus usque ad carnales, ab Apostolis usque ad ultimos poenitentes, tamquam a summis caelorum usque ad terminos eorum (Mt. 24, 31), docuit orare...: Dimitte nobis debita nostra!"[19]

Haec est Augustini definitiva sententia, secundum quam, praeter Christum et Mariam, nemo omnino liber est ab omni peccato,

---

[15] Serm. 181, n. 6 sq. ML 38, 981 sq. Cf. In Jo., tr. 124, n. 5. ML 35, 1973.

[16] Serm. 135, n. 7. ML 38, 749. Cf. Serm. 58, n. 8. l. c., 396 sq.; Serm. Guelf. 33, n. 1. MA I, 577, 1—11, etc.

[17] Serm. 56, n. 11. ML 38, 381 sq.

[18] Serm. 114, n. 4. ML 38, 653.

[19] De s. virginitate, c. 48, n. 48. ML 40, 425. CSEL 41, 294, 6—10.

et hanc videtur saltem ab initio episcopatus tenuisse,[20] fortasse jam ante episcopatum, quia in opusculo De continentia (anno 395) haec scribit: „unde sancta Ecclesia, quamdiu habet etiam membra talia (sc. „carnales", de quibus 1. Cor. 3, 1—3), nondum est sine macula et ruga. Huc accedunt et illa peccata, pro quibus quotidiana vox totius Ecclesiae est: Dimitte nobis debita nostra; a quibus ne spirituales putaremus alienos, non quicumque carnalium, nec ipsorum quicumque spiritualium, sed qui super pectus Domini discumbebat, et quem prae ceteris diligebat (Jo. 13, 23), Si dixerimus, inquit, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est."[21] Ubi neminem, ne perfectissimum quidem inter „spirituales", excipit. Alibi tamen magis dubitanter loqui videtur. Sic in Enarr. in Ps. 36, explicando verba: Mors peccatorum pessima, prius explicat, quomodo pessima sit mors alicujus hominis omnino perversi et scelerati; deinde prosequitur: „Sed quia multa sunt genera peccatorum, et non esse peccatorem difficile est, aut fortasse in hac vita non possibile, subjecit statim cujus generis peccatorum esset mors pessima: Et qui oderunt justum, inquit, delinquent. Quem justum, nisi eum qui justificat impium?" (Rom. 4, 5.) Sed ibidem sic concludit: „Iste est modus humanae justitiae, ut vita mortalis quantumlibet proficiens, quia sine delicto esse non potest, in hoc non delinquat, dum sperat in eum, in quo est remissio delictorum."[22]

Videtur ergo mens S. Doctoris ejusque persuasio constans, secundum legem communem neminem posse esse sine ullo peccato. Unde jam ab initio controversiae pelagianae, et partim jam antea, magna in eo apparet praeoccupatio demonstrandi, illos, qui in Sacra Scriptura utriusque Testamenti justi dicuntur, ideo non fuisse sine ullo omnino vel levissimo peccato.[23] Sed utrum de facto sint aliquae exceptiones, de hac quaestione initio controversiae pela-

---

[20] Cf. Ad Simplic. I, q. 2, n. 22. ML 40, 127.

[21] De contin., c. 11, n. 25. ML 40, 366 sq. CSEL 41, 173, 18—174, 2. De textibus contrariis ex tempore ante episcopatum; cf. Hofmann in ThGl 22 (1930), 411—415. Vide etiam De moribus ecclesiae catholicae I, c. 30, n. 64. ML 32, 1337, collato Retr. I, c. 7, n. 5. ML 32, 593. CSEL 36, 31, 16—33, 9.

[22] En. in Ps. 36, n. 26. ML 36, 322.

[23] Cf. v. g. De pecc. mer. II, c. 10, n. 12—c. 16, n. 25. ML 44, 158—167. CSEL 60, 83, 9—98, 20; De perf. just., c. 11, n. 23—28. ML 44, 304—306. CSEL 42, 23, 24—28, 21; De nat. et gr., c. 36, n. 42—c. 39, n. 46. ML 44, 267—270. CSEL 60, 263, 15—267, 26; et ex tempore praecedenti: C. litt. Petiliani, II, c. 105, n. 241. ML 43, 343 sq. CSEL 52, 155, 18—157, 23; De urbis excidio, c. 1 sq. ML 40, 716—718.

gianae non vult contendere, dummodo tamen concedatur, talem justitiam esse opus gratiae Dei,[24] qui sine dubio, quando vult, potest facere hominem absque ullo etiam minimo peccato.[25] Sed post definitionem Concilii Carthaginiensis[26] jam fortiter defendit suam interpretationem textuum Scripturae 1. Jo. 1, 8 et Mt. 6, 12 ut unice rectam et catholicam, et in hac asserenda firmus permanet.[27] Sic v. g. in Sermone 181 exponit textum 1. Jo. 1, 8: „His verbis docuit beatus Joannes, immo ipse Dominus Jesus non se tacens per Joannem, neminem in ista carne, in isto corruptibili corpore, in ista terra, in isto maligno saeculo, in ista vita tentationibus plena, neminem hic vivere sine peccato. Absoluta sententia est, nec expositore indiget: Si dixerimus quia peccatum non habemus. Quis est enim qui non habet peccatum?... Sunt autem quidam inflati utres, spiritu elationis pleni, non magnitudine ingentes, sed superbiae morbo tumentes, ut dicere audeant, inveniri homines absque peccato ...“[28]

3. Ratio hujus justitiae imperfectae est concupiscentia remanens in baptizatis.“... Quis autem sine aliquo peccato? quis ergo sine aliquo vitio, id est fomite quodam, vel quasi radice peccati ...?[29] „Habemus enim ex parte infirmitatem, ex parte accepimus libertatem. Quidquid peccatum est a nobis antea, deletum est in Baptismo. Numquid quia deleta est tota iniquitas, nulla remansit in-

---

[24] De s. virginitate, c. 50, n. 51. ML 40, 426. CSEL 41, 296, 10—22 (a. circ. 400); De spir. et litt., c. 2, n. 2—4. ML 44, 201 sq. CSEL 60, 155, 22—157, 9; (a. 412); Ep. 157, c. 2, n. 4. Ep. 177, n. 16—18. ML 33, 675. 771 sq. CSEL 44, 451, 6—18. 685, 6—688, 4 (a. 414—415); De nat. et gr., c. 60, n. 70, ML 44, 281 sq. CSEL 60, 285, 24—286, 11 (a. 415); De perf. justitiae, c. 21, n. 44. ML 44, 316—318. CSEL 42, 48, 6—20 (a. 415); De gestis Pelagii, c. 30, n. 55. ML 44, 352. CSEL 42, 110, 10—22 (a. 417). Cf. admonitionem editorum in librum De perf. justitiae. ML 44, 289—292.

[25] De spir. et litt., c. 1, n. 1. ML 44, 201. CSEL 60, 155, 1—21; c. 36, n. 66. ML 44, 245 sq. CSEL 60, 228, 3—20; De gr. Chr., c. 48, n. 53. ML 44, 384. CSEL 42, 164, 1—5.

[26] Denzinger 101—108; Hefele II, 115—120; E. Amann in DTC X, 1753—1758 (art. Milève).

[27] Vide v. g. C. duas epist. Pelag. IV, c. 10, n. 27. ML 44, 629. CSEL 60, 553, 26—554, 4; ib., c. 12, n. 33. ML 44, 637. CSEL 60, 569, 5—23; Retr. II, c. 33. ML 32, 644. CSEL 36, 171, 1—6; alios locos indicat Portalié, in DTC I, 2386.

[28] Serm. 181, n. 1 sq. ML 38, 979 sq. Cf. Mausbach I, 402—404.

[29] Ep. 167, c. 3, n. 10. ML 33, 737. CSEL 44, 597, 7 sq.

firmitas? Si non remansisset, sine peccato hic viveremus."[30] Cum hac concupiscentia perpetuo nobis luctandum est, et „quoniam tentatio (Vulg.: militia) est vita humana super terram (Job 7, 1), etiamsi a criminibus longe simus, non tamen deest ubi desideriis peccati, vel facto, vel dicto, vel cogitatu oboediamus; quando adversus majora vigilantibus, quaedam incautis minuta subrepunt . . ."[31] „In hoc bello laborantes, quamdiu tentatio est vita humana super terram, non ideo sine peccato non sumus, quia hoc quod eo modo peccatum dicitur, operatur in membris repugnans legi mentis, etiam non sibi ad illicita consentientibus nobis (quantum enim ad nos attinet, sine peccato semper essemus, donec sanaretur hoc malum, si ei numquam consentiremus ad malum); sed in quibus ab illo rebellante, etsi non lethaliter, sed venialiter, tamen vincimur, in his contrahimus unde quotidie dicamus, Dimitte nobis debita nostra."[32] „. . . Modo adhuc pugnamus; in stadio sumus; ferimus et ferimur; sed qui vincat, expectatur."[33]

Haec est nostra conditio, misera quidem, sed non desperanda, in qua adhuc portamus poenam peccati originalis. Placuit enim divinae sapientiae, in hac mortali vita non sanare nos ab isto languore nisi paulatim.[34] „Productior est enim poena quam culpa; ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur et poena. Ac per hoc vel ad demonstrationem debitae miseriae, vel ad emendationem labilis vitae, vel ad exercitationem necessariae patientiae, temporaliter hominem detinet poena, et quem jam ad damnationem sempiternam reum non detinet culpa."[35] Sed „quando absorbebitur mors in victoriam (1. Cor. 15, 54), quando nulla concupiscentia titillabit, quando non erit lucta cum carne et sanguine, quando erit corona victoriae, triumphus de inimico — tunc erit perfecta justitia."[36]

---

[30] In Jo., tr. 41, n. 10. ML 35, 1698.
[31] En. in Ps. 118, Serm. 3, n. 2. ML 37, 1508.
[32] C. Jul. II, c. 10, n. 33. ML 44, 696.
[33] In Ep. Jo., tr. 4, n. 3. ML 35, 2006.
[34] Cf. Mausbach II, 223 sq.; 345—355; 371—378.
[35] In Jo., tr. 124, n. 5. ML 35, 1972. Cf. C. Jul. IV, c. 2, n. 11; c. 3, n. 28. ML 44, 742. 752 sq.
[36] In Ep. Jo., tr. 4, n. 3. ML 35, 2006. De tota hac quaestione, connexione scil. inter concupiscentiam et justitiam imperfectam, cf. etiam: De contin., c. 5, n. 13. ML 40, 357. CSEL 41, 155, 15—156, 14; Conf. X, c. 35, n. 57. ML 32, 803. CSEL 33, 269, 14—270, 11; Serm. Guelf. 33, n. 3. MA I, 578, 27—579, 27; Serm. 158, n. 4. ML 38, 864; En. in Ps. 140, n. 15. ML 37, 1825; De perf. justi-

§ 2. Qualia sunt illa peccata, quae inveniuntur in justis?

Magna est differentia inter peccatum et peccatum, et absurda est sententia, omnia peccata esse paria. „Quid enim absurdius, quid insanius dici potest, quam ut ille qui aliquanto immoderatius riserit, et ille qui patriam truculentius incenderit, pecasse judicentur aequaliter?“[37] „Non autem ibi quaestio est utrum et hoc (sc. petulanter loqui) inter delicta numeretur, sed utrum hoc illi delicto (sc. calumniis aliquem afficere) aequalitate jungatur. Aut si propterea sunt paria, quia utraque delicta sunt, mures et elephanti pares erunt, quia utraque sunt animalia; muscae et aquilae, quia utraque volatilia.“[38] Hanc peccatorum distinctionem, quae etiam a sensu communi attingitur, Augustinus laboriose expolivit, ita ut plurimum contribuerit ad progressum doctrinae theologicae in hac parte.[39]

Possunt secundum Augustinum peccata in duas classes distingui, quarum utraque habet veram rationem peccati.[40] Ad classem priorem pertinent crimina[41] sive flagitia, facinora,[42] scelera,[43] peccata gravia,[44] mortifera,[45] damnabilia,[46] quae separant a pane quotidiano eucharistico.[47] Talia sunt non solum tria illá

---

tiae, c. 8, n. 19. ML 44, 301. CSEL 42, 18, 1—19; C. Jul. II, c. 8, n. 23. ML 44, 689; De Civ. Dei XXII, c. 23. ML 41, 787 sq. CSEL 40 II, 640, 9—641, 25; Op. imp. c. Jul. I, c. 101. II, c. 97. ML 45, 1117. 1179 sq., etc.

[37] Ep. 104, c. 4, n. 13. ML 33, 393. CSEL 34 II, 591, 28—30.

[38] Ib., n. 14. l. c., 394. CSEL 34 II, 592, 21—26.

[39] Portalié, in DTC I, 2440 sq.; Mausbach I, 228—241.

[40] In Jo., tr. 41, n. 9. ML 35, 1697; De pecc. mer. II, c. 16, n. 23. ML 44, 165. CSEL 60, 95, 16—19. 96, 1—9.

[41] Serm. 58, n. 8. ML 38, 397; Serm. 261, n. 9. l. c., 1206; Enchir., c. 64. ML 40, 262; ib., c. 70. l. c., 265; De Civ. Dei XI, c. 12. ML 41, 328. CSEL 40 I, 530, 12; In Jo., tr. 41, n. 9—13. ML 35, 1697—1700; C. duas epist. Pelag. I, c. 14, n. 28. ML 44, 563 sq. CSEL 60, 446, 21—447, 17.

[42] Enchir., c. 75. ML 40, 267; ib., c. 77. l. c., 268 sq; De spir. et litt., c. 36, n. 65. ML 44, 244. CSEL 60, 226, 19—227, 4.

[43] De symb. ad catech., c. 7, n. 15. ML 40, 636; Enchir., c. 71. ML 40, 265.

[44] En. in Ps. 129, n. 5. ML 37, 1699; De symb. ad catech., c. 7, n. 15. ML 40, 636; Enchir., c. 78. ML 40, 269; Ep. 265, n. 7. ML 33, 1089. CSEL 57, 646, 1; Ep. 177, n. 18. ML 33, 772. CSEL 44, 688, 2—4; In Jo., tr. 41, n. 9. ML 35, 1697.

[45] Serm. 181, n. 8. ML 38, 983; Serm. 278, n. 12. l. c., 1273 sq; Serm. 351, n. 9. ML 39, 1545; Serm. 352, n. 8. l. c., 1558; In Jo., tr. 26, n. 11. ML 35, 1611; De authenticitate Sermonis 351 vide: Adam 7, nota 1; Kunzelmann. MA II, 490.

[46] De perf. just., c. 9, n. 20. ML 44, 302. CSEL 42, 20, 15 sq.; In Jo., tr. 41, n. 9. ML 35, 1697.

[47] Serm. 56, n. 12; Serm. 59, n. 7. ML 38, 382. 401; Serm. 132, n. 4. l. c., 736; Serm. 351, n. 4. ML 39, 1538; Enchir., c. 65. ML 40, 262.

peccata capitalia, idololatria, homicidium et fornicatio, sed etiam alia, de quibus Sacra Scriptura dicit: Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt,[48] v. g. 1. Cor. 6, 9. 10: fures, avari, ebriosi, maledici, rapaces; item Gal. 5, 19—21 inter „opera carnis", quae excludunt a regno Dei, enumerantur etiam: veneficia, inimicitiae, contentiones, irae, rixae, dissensiones, sectae, invidiae, ebrietates, comessationes . . .[49]

Ad alteram classem pertinent peccata parva,[50] minima,[51] minuta,[52] levia,[53] venialia,[54] cotidiana,[55] peccata infirmitatis.[56] Exemplis frequenter illustratur, qualia ista sint: „Dimitte nobis debita nostra. Quae debita? Non deest; homines sumus: paulo plus locutus suum quam debui, dixi aliquid quod non debui, risi plus quam debui, bibi amplius quam debui, comedi amplius quam debui, audivi libenter quod non debui, vidi libenter quod non debui, cogitavi libenter quod non debui: Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris!"[57] Contra Pelagium, qui asseruit: Abel dicitur justus, ergo numquam peccavit; (si enim peccasset, hoc indicaret Scriptura, sicut refert de Adam, Heva et Cain)[58] — satis ironice scribit Augustinus: „. . . nec commemorandum fuit, si Abel, quamvis merito justus appellatus est, paulo immoderatius aliquando risit, vel animi remissione jocatus est, vel vidit aliquid ad concupiscendum, vel aliquanto immoderatius poma decerpsit, vel plusculo cibo crudior fuit, vel

---

[48] Speculum de Scriptura Sacra, Act. Ap. ML 34, 994. CSEL 12, 199, 18—200, 4; Cf. Serm. 351, n. 7. ML 39, 1542; De fide et operibus, c. 19, n. 34. ML 40, 220. CSEL 41, 79, 15—80, 2; Enchir., c. 67. ML 40, 264.

[49] Alia exempla vide locis citatis nota 41—48; praeterea: Serm. 224, n. 1. ML 38, 1094; cf. Adam 23—27.

[50] Ep. 265, n. 8. ML 33, 1089. CSEL 57, 646, 8.

[51] Enchir., c. 71. ML 40, 265.

[52] Serm. 9, n. 21. ML 38, 91; Serm. 278, n. 12. l. c., 1274; En. in Ps. 129, n. 5. ML 37, 1699 sq.

[53] Serm. 278, n. 12. ML 38, 1274; Enchir., c. 78. ML 40, 269; In Ep. Jo., tr. 1, n. 6. ML 35, 1982.

[54] De symb. ad catech., c. 7, n. 15. ML 40, 636; De perf. justitiae, c. 9, n. 20. ML 44, 302. CSEL 42, 20, 16.

[55] Serm. 9, n. 18. ML 38, 89; Serm. 58, n. 8. l. c., 397; Enchir., c. 71. ML 40, 265; In Jo., tr. 26, n. 11. ML 35, 1611.

[56] De Civ. Dei XI, c. 12. ML 41, 328. CSEL 40 I, 530, 13; cf. Serm. Denis 6, n. 3. MA I, 31, 19—27; Op. imp. c. Jul. IV, c. 135. ML 45, 1430; Enchir., c. 64. ML 40, 262.

[57] Serm. 57, n. 12. ML 38, 392. Cf. Serm. 9, n. 18. l. c., 88; Serm. 56, n. 12. l. c., 382 sq.

[58] De nat. et gr., c. 37, n. 44. ML 44, 268. CSEL 60, 265, 5—20.

cum oraret cogitavit aliquid unde ejus in aliud avocaretur intentio, et quoties illi ista ac similia multa subrepserint.“[59] Exemplum quo forte frequentissime utitur, est immoderatio in usu matrimonii, si nempe non fit liberorum procreandorum causa, sed mere ad sedandam concupiscentiam; talem usum putat esse peccatum veniale, secundum 1. Cor. 7, 6, ubi legit: Hoc autem dico secundum veniam (Vulg. indulgentiam), non secundum imperium.[60]

Ex exemplis hucusque allatis[61] jam hoc patet, esse quaedam peccata venialia, quia agitur de re exigua; „propter parvitatem materiae“, uti scholastici dicunt. Praeterea frequenter ex alio capite derivat characterem peccati venialis, nempe ex inadvertentia, ex subreptione: „... quoniam etiam satagentibus vigilantibusque ne peccent, subrepunt quodam modo ex humana fragilitate peccata, quamvis parva, quamvis pauca, non tamen nulla.“[62] „Hoc peccatum (sc. de quo Rom. 6, 12), id est, hunc vitiosae affectionis appetitum, qui magna ex parte frenarunt, ut non oboedirent desideriis ejus, nec exhiberent ei membra sua arma iniquitatis, etiam justi appellari meruerunt; et hoc, adjutorio gratiae Dei. Verum quia saepe in levissimis et aliquando incautis obrepit peccatum; et justi fuerunt, et sine peccato non fuerunt.“[63] „... aliquando per infirmitatem ... subrepit taedium, quo fuscetur hilaritas, in qua datorem diligit Deus (2. Cor. 9, 7); subrepit autem tanto magis, quanto minus quisque, et tanto minus, quanto magis profecerit; his atque hujusmodi consideratis, merito in oratione dicimus: „Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.“[64]

---

[59] Ib., c. 38, n. 45. ML 44, 269. CSEL 60, 266, 9—14. Alia exempla vide: Conf. X, c. 28, n. 39—c. 39, n. 64. ML 32, 795—806. CSEL 33, 255—275. In specie de distractionibus in oratione: En. in Ps. 85, n. 7. ML 37, 1086; in Ps. 145, n. 6. l. c., 1888.

[60] Vide Mausbach I, 250, nota 2. Praeter textus ibi adductos etiam: De nupt. et concup. I, c. 24, n. 27. ML 44, 429. CSEL 42, 239, 12—24; De pecc. orig., c. 38, n. 43. ML 44, 406. CSEL 42, 201, 5—22; De conjug. adulterinis II, c. 12, n. 12. ML 40, 478. CSEL 41, 395, 14—20; Enchir., c. 78. ML 40, 269; Serm. 351, n. 5. ML 38, 1541, etc.

[61] Cf. etiam Mausbach I, 383 sq. et loc. cit. in notis 50—56; praeterea Serm. 211, n. 1 sq. ML 38, 1054 sq.; Serm. 261, n. 9. l. c., 1206 sq., etc.

[62] De s. virginitate, c. 50, n. 50. ML 40, 426. CSEL 41, 296, 3—5.

[63] De nat. et gr., c. 38, n. 45. ML 44, 269. CSEL 60, 266, 24—267, 2.

[64] De perf. justitiae, c. 8, n. 18. ML 44, 300. CSEL 42, 16, 17—24. Similiter: In Jo., tr. 124, n. 5. ML 35, 1973; C. duas epist. Pelag. III, c. 5, n. 15. ML 44, 599. CSEL 60, 503, 19—24; Ep. 265, n. 8. ML 33, 1089. CSEL 57, 646, 7 sq.;

Ex hac descriptione utriusque classis peccatorum facile colliguntur elementa alicujus definitionis, quamvis Augustinus plerumque non exhibeat strictam definitionem nec descriptionem applicet integrae categoriae, sed quibusdam peccatis, quae ut exempla affert.

Primo nobis occurrunt aliquae metaphorae:

1. Qui mortaliter peccat, prosternitur (in lucta cum concupiscentia et cum diabolo); qui venialiter peccat, percutitur et vulneratur tantum. „Facere est ergo justitiam, in vero Dei cultu cum interno concupiscentiae malo interna conflictatione pugnare; perficere autem, omnino adversarium non habere. Nam qui pugnat, et adhuc periclitatur, et aliquando percutitur, etiam si non sternitur; qui autem non habet adversarium, plena pace laetatur.“[65]

2. Qui mortaliter peccat, declinat a via recta; qui venialiter peccat, titubat vel claudicat in via. „. . . . custodivit vias Dei, qui non sic exorbitat, ut eas relinquat, sed in eis currendo proficit; etsi aliquando ut infirmus offendit aut titubat; proficit autem minuendo peccata, donec perveniat ubi sine peccato sit“.[66] „Invenies quippe homines bene viventes, et non christianos. Bene currunt, sed in via non currunt . . . Melius est enim in via claudicare, quam praeter viam fortiter ambulare.“[67]

3. Qui mortaliter peccat, separatur ab ipso fundamento, Christo; qui venialiter peccat, manet in fundamento, quamvis superaedificet lignum, foenum, stipulam (cf. 1. Cor. 3, 11—15).[68] Per fundamentum non intelligitur sola fides, sed fides quae per dilectionem

---

Serm. 155, n. 9. ML 38, 846; Serm. 347, n. 3. ML 39, 1526; Serm. Guelf. 9, n. 3. MA I, 469, 9—19; Serm. Guelf. 33, n. 3. MA I, 579, 10—27; De corr. et gr., c. 12, n. 35. ML 44, 938; De Civ. Dei XIX, c. 27. ML 41, 657. CSEL 40 II, 421, 21—423, 10.

[65] De nat. et gr., c. 62, n. 72. ML 44, 283. CSEL 60, 288, 10—15.

[66] De perf. just., c. 11, n. 27. ML 44, 305. CSEL 42, 26, 1—6.

[67] Serm. 141, n. 4. ML 38, 777sq. Similiter: En. 2 in Ps. 31, n. 6. ML 36, 262; in Ps. 118, Serm. 1, n. 3—Serm. 3, n. 3. ML 37, 1503—1509; in Ps. 129, n. 3. l. c., 1698; In Jo., tr. 124, n. 5. ML 35, 1973.

[68] Cf. Mausbach I, 242—244, qui recte animadvertit (exactius quam Portalié in DTC I, 2441) secundum Augustinum per „lignum, foenum, stipulam“ non directe et per se significari peccata venialia, sed amorem mere naturalem erga res temporales; significari tamen indirecte et ex consequenti, quatenus hoc modo facile committantur peccata venialia. Vide praesertim De Civ. Dei XXI, c. 26, n. 2. ML 41, 743. CSEL 40, II, 568, 15—570, 11. Praeterea: En. in Ps. 6, n. 3; in Ps. 37, n. 3. ML 36, 92. 397. Cf. Landgraf, 1. Cor. 3, 10—17 bei den lat. Vätern u. in der Frühscholastik, in Biblica 5 (1924), 140—172 (Augustinus: 148sq.).

operatur; hoc probatur in libro De fide et operibus.[69] Unde sequitur nova differentia, eaque magni momenti:

4. Peccatum mortale non potest esse simul cum caritate; peccatum veniale non destruit caritatem. „Absit autem ut quisquam fidelis existimet tot milia servorum Christi, qui veraciter dicunt se habere peccatum, ne seipsos decipiant, et veritas in eis non sit, nullam habere virtutem, cum virtus magna sit sapientia; dixit autem, ipsa sapientia, homini: Ecce pietas est sapientia (Job. 28, 28, sec. LXX). Absit ergo ut dicamus tot ac tantos fideles et pios homines Dei non habere pietatem... quid autem est pietas, nisi Dei cultus? Et unde ille colitur, nisi caritate?“[70] — Vel idem alio modo: Qui habet peccata venialia, propterea non desinit esse justus.[71] Tandem et maxime:

5. Peccatum mortale est aversio e Deo fine ultimo, dum beatitudo quaeritur in creatura,[72] vel, quod idem est, usus rerum contra institutionem divinam;[73] peccatum veniale est negligentia in tendentia ad Deum sine aversione ab eo,[74] immoderatio in usu rerum per se licito.[75] Unde cohaerenter omnino resultat ultima differentia:

---

[69] Vide c. 14, n. 21. — c. 16, n. 30. ML 40, 211—217. CSEL 41, 61, 5—74, 21, quod repetit in: De octo Dulcitii quaest., q. 1, n. 2—9. ML 40, 149—154; Enchir., c. 67—69. ML 40, 263—265 (repet. in eodem opere, n. 10—13. ML 40, 154—157). Alios locos vide apud Mausbach I, 243, nota 1. Cf. etiam En. in Ps. 118, Serm. 3, n. 3. ML 37, 1508 sq.; De Civ. Dei XIX, c. 27. ML 41, 657. CSEL 40 II, 421, 21—422, 9.

[70] Ep. 167, c. 3, n. 11. ML 33, 737. CSEL 44, 598, 3—11. Cf. Mausbach I, 237 sq. Praeterea vide: In Ep. Jo., tr. 1, n. 6. ML 35, 1982; ib., tr. 5, n. 2—13. ML 35, 2012—2019; De Civ. Dei XIV, c. 28. ML 41, 436. CSEL 40 II, 56, 30—57, 26. Cf. ib. XIX, c. 27 (cit. nota praec.).

[71] Vide supra, p. 113, nota 63. Cf. Retr. II, c. 33. ML 32, 644. CSEL 36, 171, 2—5.

[72] Retr. II, c. 15, n. 2 sq. (explicat De Trin. XI, c. 5, n. 9; XII, c. 10, n. 15). ML 32, 636. CSEL 36, 148, 6—149, 13; De bono conjugali, c. 9, n. 9, collato ib., c. 13, n. 15. — c. 14, n. 16. ML 40, 380. 383—385. CSEL 41, 199, 25—201, 7. 207, 5—209, 14; Quaest. in Hept. III, 20, n. 2. ML 34, 681. CSEL 28 III, 248, 3—10. Cf. Mausbach I, 230—235.

[73] Conf. III, c. 8, n. 15 sq. ML 32, 689 sq. CSEL 33, 56, 14—58, 21 (ubi tamen explicite non loquitur nisi de peccato Sodomitarum).

[74] Cf. supra, p. 114, nota 66 et 67.

[75] In Jo., tr. 12, n. 14. ML 35, 1492; Conf. III, c. 8, n. 16. ML 32, 690. CSEL 33, 58, 7 sq.; ib. X, c. 34, n. 53. ML 32, 801. CSEL 33, 266, 9—21; De bono conjugali, l. c. (supra, nota 72); Serm. 9, n. 18. ML 38, 88; Serm. 278, n. 10. l. c., 1273; De octo quaest. ex Veteri Testamento. MA II, 333, 3—9.

6. Peccatum mortale punitur aeterna poena inferni,[76] peccatum veniale non excludit a caelo,[77] sed punitur temporali poena purgatorii.[78]

Brevis iste conspectus ostendit, quam multa elementa jam apud Augustinum inveniantur, quae postea recepta sunt in definitionibus scholasticis. Sunt ergo principia S. Doctoris omnino perspicua et a traditione theologica recepta; non remanent obscura nisi quaedam particularia, in quibus ipse ad definitivam solutionem fortasse nondum pervenit. Sic v. g., si admittere videtur, esse quaedam peccata secundum se damnabilia, quae tamen propter merita sanctorum condonantur.[79] Ergo tertia quaedam classis peccatorum admittenda esset, intermedia inter peccata mortalia et venialia?

Magna est varietas explicationum hujus textus,[80] nec videtur dari posse peremptoria solutio. Videamus tamen quid omnino certum sit, et quid inde deduci possit.

1. Peccata illa non sunt proprie dicta venialia, describuntur enim ut talia, quae impediunt perventionem ad regnum Dei: „venialis iniquitas“ nihil aliud significat nisi „remissibilis“.[81]

2. Agitur potius de consideratione vitae hominis complexive quam de determinandis speciebus peccatorum (est itaque quidam vitae modus, nec tam malae... nec tam bonae...):[82] Haec consideratio a nobis hodie satis aliena est, qui semper quaerimus utrum in ipso momento mortis praecise homo sit in peccato mortali an in gratia, sed dilucidat psychologica supposita quaestionis.

3. Probari nequit, illam remissionem expectandam esse aliquo tempore post mortem.[83] — His positis, praeferenda videtur haec

---

[76] Portalié, in DTC I, 2445. 2450—2452; Mausbach I, 238; Lehaut, L'éternité des peines de l'enfer dans St. Augustin, Paris 1912; De Groot II, 108sq.; Rauschen-Altaner 350; Tixeront II, 431—434.

[77] De spir. et litt., c. 28, n. 48. ML 44, 230. CSEL 60, 203, 16—19, et alibi.

[78] Portalié, DTC I, 2447—2449; Mausbach I, 239; De Groot II, 108; Rauschen-Altaner 350; Tixeront II, 431—434. Cf. De gestis Pelagii, c. 3, n. 11. ML 44, 326. CSEL 42, 62, 25—63, 4; C. litteras Petiliani II, c. 23, n. 54. ML 43, 278sq. CSEL 52, 54, 19—21.

[79] De Civ. Dei XXI, c. 27, n. 5sq. ML 41, 750. CSEL 40 II, 578, 25—581, 17.

[80] Vide Mausbach I, 239; Hünermann, Die Bußlehre des hl. Augustinus, 11—13; Adam, in recensione hujus operis in Theolog. Revue 14 (1915), 70; Poschmann, in Zeitschr. f. kath. Theologie 45 (1921), 507—510.

[81] Sic Hünermann, l. c.

[82] Sic Poschmann, l. c., 508.

[83] Quaest. Evang. II, 38, n. 3. (ML 35, 1351) quaestio sine solutione relinquitur: utrum illa „receptio“ statim post istam vitam fiat, an in fine saecu-

explicatio: Ad remissionem omnium peccatorum requiritur oratio. Quando sunt venialia, sufficit oratio ipsius „peccatoris“, quia simul justus est. Quando autem sunt peccata gravia, requiritur etiam intercessio sanctorum; et si homo non omnino scelerate vixit, spes est, eum hoc modo, propter opera misericordiae et suffragia sanctorum, veniam consecutorum esse; „sed quis iste sit modus . . . difficillimum est invenire, periculosissimum est definire“.[84] Sic nihil in hoc textu cogit ad admittendam tertiam quandam classem peccatorum.[85]

Aliud, quod adhuc magis mirum videtur, est doctrina de „coalescentia“ peccatorum venialium. „Sunt autem peccata levia et minuta, quae devitari omnino non possunt, quae quidem videntur minora, sed multitudine premunt. Nam et acervus frumenti minutissimis granis colligitur, et tamen onerantur inde naves, et si amplius onerentur, demerguntur. Unum fulmen dejicit aliquem et occidit: sed et si pluvia sit nimia, minutissimis guttis tamen multos interficit. Illud uno ictu perimit, illa ex multitudine extinguit. Magnae bestiae uno morsu occidunt hominem; minutae autem cum fuerint multae congregatae, plerumque interimunt, et talem perniciem inferunt, ut poenis hujusmodi gens superba Pharaonis judicari meruerit. Si ergo, quamvis minuta sint ista peccata, tamen quia tam multa sunt, ut congregata acervum faciant, quo te premant; bonus est Deus qui etiam ipsa dimittit, sine quibus non potest ista vita duci.“[86] „Ista omnia si colligantur contra nos, num ideo non premunt, quia minuta sunt? Quid interest, utrum te plumbum premat, an arena? Plumbum una massa est, arena minuta

---

lorum; sed nihil probat, Augustinum postea in secundam sententiam inclinasse; immo probabilius est contrarium. Cf. Portalié in DTC I, 2444—2447. Etiam parallelismus inter orationes ipsius peccatoris et orationes sanctorum. (l. c. in nota 79, n. 6. ML 41, 750. CSEL 40 II, 580, 19 sq.), suadet, intercessiones sanctorum fieri, dum homo adhuc vivit. (Lectionem „operationibus“ pro „orationibus“, cui favet Poschmann, unus tantum codex habet, et rejicitur tum a ML tum a CSEL.)

[84] L. c., n. 5. ML 41, 750. CSEL 40 II, 580, 1—4.

[85] Multo minus hoc sequitur ex illis locis, in quibus tripartita datur divisio peccatorum (v. g. De div. quaest. 83, q. 26. ML 40, 17 sq.; De fide et operibus, c. 26, n. 48. ML 40, 228. CSEL 41, 94, 9—95, 3; De octo quaestionibus ex Veteri Testamento. MA II, 333, 3—9). Haec enim possunt sic intellegi, ut vel levia vel gravia peccata in duas classes subdividantur. Utrum exinde probari possit distinctio inter poenitentiam publicam et privatam, de hac quaestione vide bibliographiam apud Rauschen-Altaner, 349.

[86] Serm. 278, n. 12. ML 38, 1274.

grana sunt, sed copia te premunt.“[87] Loci ejusdem tenoris frequentes sunt, sed fere semper in sermonibus.[88]

Certe haec idea, si sumitur sicuti jacet, non potest admitti; tolleretur enim distinctio essentialis inter peccatum mortale et veniale et reduceretur ad mere gradualem et quantitativam. Sed, praetermisso quod S. Doctor hic loquitur rhetorice et quod comparationes non sunt nimis premendae — forte tota res sic explicari potest, ut sensum fundamentalis sit: qui ita spernit peccata venialia, ut sine scrupulo innumera committat, in maximo periculo est, ne pereat. Haec idea, populari modo expressa, nimis facile suggerit comparationes quantitativas, praesertim quia adest parallelum quid in processu psychologico: inclinatio voluntatis comparatur ponderi;[89] per multos actus inordinatae adhaesionis ad creaturas hoc pondus augetur, ita ut tandem aliquando trahat in profundum. Hoc sensu admitti possent interpretationes Scholasticorum de effectu dispositivo,[90] licet Augustinus sic rem vix umquam explicet;[91] proinde necesse non est, intelligere coalescentiam proprie dictam per additionem quantitativam.

Quomodocumque autem haec opinio explicetur, unum certum manet: in potestate hominis justi est, ut statim tollat singula peccata venialia, per orationem dominicam, per jejunia, per eleemosynas (id est opera misericordiae, maxime per veniam inimicis concessam),[92] et sic, licet non omnia

---

[87] Serm. 56, n. 12. ML 38, 383.

[88] Praeter textus indicatos apud Mausbach I, 239—241, vide etiam: Serm. 58, n. 10. ML 38, 398; Serm. 261, n. 10. l. c., 1207; Serm. Morin 16, n. 8. MA I, 657, 20—658, 15; Serm. Wilm. 2, n. 6. l. c., 678, 30—679, 19; En. in Ps. 39, n. 22. ML 36, 448; in Ps. 66, n. 7. l. c., 810; in Ps. 129, n. 5. ML 37, 1699; in Ep. Jo., tr. 1, n. 6. ML 35, 1982; Ep. 167, c. 6, n. 20. ML 33, 741. CSEL 44, 608, 4—13.

[89] Conf. XIII, c. 9., n. 10. ML 32, 848 sq. CSEL 33, 351, 16—352, 7; De Civ. Dei XI, c. 28. ML 41, 342. CSEL 40 1, 554, 27—555, 14; Ep. 157, n. 9. ML 33, 677. CSEL 44, 454, 24—455, 4, etc.; Gilson 165—167 (ed. germ. 228—230).

[90] Mausbach I, 240.

[91] Mausbach I, 241. Quae Hünermann (Die Bußlehre des hl. Augustin, 13 sq.) objicit contra explicationes Mausbach, soluta videntur per considerationes propositas in textu.

[92] Passim locis citatis. Haec tamen remedia non tollunt qualicumque peccata, sed venialia tantum (De Civ. Dei XXI, c. 27, n. 1—4. ML 41, 746—749. CSEL 40 II, 573, 5—578, 24), et ad eorum efficaciam supponitur Baptismus: De nupt. et concup. I, c. 33, n. 38. ML 44, 435. CSEL 42, 249, 18—250, 15; C. duas epist. Pelag. IV, c. 7, n. 17. ML 44, 622. CSEL 60, 541, 4—8.

peccata venialia vitare possit,[93] nulla tamen est necessitas habendi peccatum mortale, neque directa, neque indirecta per „coalescentiam" venialium, et ingressus regni caelorum non impeditur.

Sed objicitur, cogitationes impuras graviter peccaminosas secundum Augustinum etiam justis moraliter inevitabiles esse.[94]

Quaestio haec est tanti momenti, ut oporteat quosdam textus saepe citatos singulatim examinare. Una est classis textuum, in quibus asseritur, esse peccata damnabilia sine actione externa, immo sine intentione actionis externae, dummodo adsit voluntas „animum talibus oblectandi".[95] Hoc sine dubio concedendum est. Deinde afferuntur alii textus, quibus asseritur, neminem posse cavere ab omni peccato in cogitationibus, v. g.:

„... quid facis de cogitationibus tuis? quid facis de tumultu et caterva rebellantium desideriorum? Non eis das membra. Ita credo, et video; sed tamen cogitationes aliquando inclinant et auferunt te, plerumque in oratione genibus fixis."[96] Idem alibi frequenter repetitur.[97]

Sequiturne ex conjunctione utriusque seriei, etiam cogitationes graviter malas a justis vitari non posse? Argumentum nullo

---

[93] Serm. 42, n. 1. ML 38, 252, et passim locis citatis.

[94] Adam 20, inter alia citat En. in Ps. 122, n. 12: „Possumus continere ab homicidio, ab adulterio, a furtis, a perjuriis, a fraudibus: numquid ab iniquis cogitationibus? numquid et a suggestionibus malarum cupiditatum?" (ML 37, 1639) et De Civ. Dei XIX, (c. ?) 1: „Unusquisque quamlibet laudabiliter vivens cedit in quibusdam carnali concupiscentiae" (quod tamen loco allegato non invenitur), et concludit: „Solche an sich schwere Gedankensünden sind nach Augustin kaum zu vermeiden ... Es leidet somit keinen Zweifel, daß Augustin unzüchtige Begierden zwar als Todsünden betrachtet, aber dem für die peccata quotidiana bestehenden Tilgungsmittel zuweist. Insofern ist der Kreis der peccata quotidiana weiter als jener der peccata minuta, venialia, wenn er sich auch der Art der Tilgung nach mit ihnen deckt." Cf. ib., 21, nota 1. Quod in hac sententia considerandum est, non est quaestio de terminologia, quae tunc nondum fixa erat (cf. Scheeben, Dogmatik, Bd. II, Buch 4, n. 38); nec est quaestio de medio remissionis talium peccatorum; sed unice quaeritur, utrum a justis possint evitari necne.

[95] De Trin. XII, c. 12, n. 18. ML 42, 1008. Item: In Jo., tr. 49, n. 3. ML 35, 1748; Serm. 98, n. 5 sq. ML 38, 593—595; Serm. 128, n. 13 sq. l. c., 719 sq. (ubi tamen sermo est de voluntate committendi peccatum externum, quae tantummodo propter circumstantias non fuit executioni mandata).

[96] En. in Ps. 140, n. 18. ML 37, 1827. Cf. En. in Ps. 122, n. 12 (nota 94).

[97] Serm. 56, n. 12. ML 38, 383; Serm. 155, n. 9. ML 38, 846; Serm. Guelf. 33, n. 3. MA I, 579, 10—27; De perf. just., c. 21, n. 44. ML 44, 316. CSEL 42, 47, 25—48, 6.

modo concludit: nam ex una parte Augustinus agnoscit tales cogitationes posse esse mere venialia peccata: „venialiter ... vincimur ..., sicut continentes, quando in talibus cogitationibus cum aliqua delectatione remorantur, non quidem decernentes flagitium, sed intentionem mentis, non sicut oportet, ne illo incidat, inde avertentes, aut si inciderit inde rapientes“,[98] ex altera parte in iisdem locis, ubi asserit vitari non posse omnes malas cogitationes, satis indicat hanc imperfectionem actus: „volaticam cogitationem usurpant“,[99] vel talia peccata connumerat cum aliis venialibus.[100] Econtra in textu citato ex opere De Trinitate omnes expressiones ostendunt, agi de delectatione, quam moderalistae vocant morosam:[101] „cogitandum suaviter ... mente decerni ...“ „tenens ... et volvens libenter, quae statim ut attigerunt animam respui debuerunt ...“ „si delectationibus illicitis, a quibus se continuo deberet avertere cogitatio, libenter sola pascatur“ „suaviter in recordatione teneantur“.[102]

Nec dicatur, in Serm. 56, n. 12[103] easdem voces adhiberi; nam „audire libenter“ etc. potest etiam de subreptitia, semideliberata delectatione intellegi, non autem: „tenens et volvens libenter“ et alia hujusmodi; satis igitur exprimitur differentia; nec necesse nec legitimum est dicere, notionem „subreptionis“ et „inadvertentiae“ latius sumendam esse.[104]

Manet ergo firma conclusio, sola peccata proprie dicta venialia etiam a justis non omnia vitari posse, et haec est tota et sola imperfectio justitiae inhaerentis, quae et ipsa tolli potest oratione dominica et operibus misericordiae. „Fit ergo cor immaculatum membrorum et corporis Christi, gratia Dei per ipsum corporis caput, hoc est per Jesum Christum Dominum nostrum, per regenerationis lavacrum (Tit. 3, 5), ubi abolita sunt omnia praeterita peccata nostra; per spiritus adjutorium, per quod concupiscimus adversus carnem (Gal. 5, 17), ne vincamur in pugna nostra — per dominicae orationis effectum, in qua dicimus: Dimitte nobis debita nostra. Ita donata nobis regeneratione, adjuta

---

[98] C. Jul. II, c. 10, n. 33. ML 44, 696.

[99] Serm. 155, n. 9. ML 38, 846. Cf. Serm. Guelf, 33, n. 3. MA I, 579, 10—15.

[100] Cf. omnes locos ubi de „subreptione“ (supra, p. 113, nota 62—64).

[101] Vermeersch, Theol. Moralis I. 3 ed. Romae 1933, n. 430 sq.

[102] De Trin. XII, c. 12, n. 17 sq. ML 42, 1008.

[103] ML 38, 383. Cf. etiam Serm. 57, n. 12 (supra, p. 112).

[104] Adam 19.

conflictione, fusa precatione, fit cor nostrum immaculatum, ut non confundamur."[105]

Haec est hujus vitae imperfecta, sed tamen vera justitia, et homo, qui eam habet, omnino dignus est vita aeterna. Attamen a fautoribus duplicis justitiae congeruntur textus, ubi hoc negari vel in dubium vocari videtur, qui textus nunc examinandi essent; quod tamen melius fieri poterit, postquam exposuerimus S. Augustini doctrinam de merito.

Caput III.
De merito

§ 1. De existentia et extensione meriti

Augustinus ubi primum Sacras Scripturas scrutari coepit, non potuit non animadvertere, vitam aeternam ibi saepe mercedis nomine vel similibus appellari,[1] quae includere videntur rationem debiti. Hoc tamen ab initio forte nondum ausus est firmiter asserere; sic in opere Ad Simplicianum scribit: „Praecipitur ut recte vivamus, hac utique mercede proposita, ut in aeternum beate vivere mereamur",[2] sed alibi in eodem libro: „Prima est igitur gratia, secunda bona opera, sicut alio loco dicit: Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum (Rom. 4, 4). Sicut illa immortalitas post bona opera, si tamen vel ipsa ex debito poscitur, sicut idem ait: Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; de cetero superest mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex (2. Tim. 4, 7. 8). Forte enim quia dicit, reddet, jam fit ex debito..."[3] Postea tamen jam clare affirmat, vitam aeternam reddi ex debito; sic in Annotationibus in librum Job: „Et restituet tibi vitam justitiae — quae debetur justitiae, id est beatam."[4] Similiter in Confessionibus: „Supererogatur tibi, ut debeas; et quis habet quidquam non tuum? Reddis (al. reddens) debita nulli debens, donas (al. donans) debita nihil perdens."[5]

In hac assertione exinde semper firmus permanet; simul etiam

---

[105] En. in Ps. 118, Serm. 19, n. 7. ML 37, 1556.

[1] Mt. 5, 12; 1. Cor. 3, 8; 9, 25; Gal. 6, 9; Phil. 3, 14; Col. 3, 23; 2. Tim. 4, 7. 8; Apoc. 2, 10.

[2] Ad Simpl. I, q. 2, n. 21. ML 40, 126.

[3] Ib., n. 3. l. c., 113.

[4] Annot. in Job, c. 8. ML 34, 833. CSEL 28 III, 525, 12—14.

[5] Conf. I, c. 4, n. 4. ML 32, 663. CSEL 33, 4, 9—11.

explicat, quod in Confessionibus ad modum paradoxi posuit: „reddis debita nulli debens“. Sic jam Ad Simplicianum: „Unde enim Apostolus tamquam debitum reddi sibi praesumeret, nisi prius indebitam gratiam percepisset, qua justificatus bonum agonem certaret? Fuit enim blasphemus et persecutor et injuriosus, sed misericordiam consecutus est, ut ipse testatur (1. Tim. 1, 13): credens utique in eum qui justificat, non pium, sed impium (Rom. 4, 5), ut justificando pium faciat.“[6]

Maxime in hoc insistit tempore controversiae pelagianae.[7] Sic, cum explicat Rom. 6, 23: „Stipendium peccati mors; gratia autem Dei vita aeterna in Christo Jesu Domino nostro.“ „Cum enim dixisset, Stipendium peccati mors, quis non eum congruentissime et consequenter addere judicaret, si diceret, Stipendium autem justitiae vitae aeternae? Et verum est, quia sicut merito peccati tamquam stipendium redditur mors, ita merito justitiae tamquam stipendium vita aeterna. Aut si nollet dicere, justitiae, diceret, fidei, quoniam justus ex fide vivit (Hab. 2, 4; Rom. 1, 17)... Sed beatus Apostolus adversus elationem... vigilantissime militans, Stipendium, inquit, peccati mors. Recte stipendium, quia debetur, quia digne retribuitur, quia merito redditur. Deinde, ne justitia de humano se extolleret bono merito, sicut humanum meritum malum non dubitatur esse peccatum, non a contrario retulit, dicens, Stipendium justitiae vita aeterna; sed gratia, inquit, Dei vita aeterna. Et haec ne praeter Mediatorem aliqua alia via quaereretur, adjecit, In Christo Jesu Domino nostro: tamquam diceret, Audito quod stipendium peccati sit mors, quid te disponis extollere, o humana, non justitia, sed nomine justitiae plane superbia? quid te disponis extollere, et contrariam morti vitam aeternam tamquam debitum stipendium flagitare? Cui debetur vita aeterna, vera justitia est; si autem vera justitia est, ex te non est, desursum est, descendens a Patre luminum (Jac. 1, 17). Ut haberes eam, si tamen habes eam, profecto accepisti, quid enim habes quod non accepisti? (1. Cor. 4. 7). Quapropter, o homo, si acceptturus es vitam

---

[6] L. c., nota 3.

[7] Exponendo in hoc contextu Augustini doctrinam antipelagianam de merito, opus non est insistere in necessitate gratiae (cf. Rivière in DTC X, 644—646), quam debuit defendere contra Pelagianos, qui agnoscebant meritum, negantes gratiam, sed potius ostendenda est realitas meriti, quia hic agitur de adversariis, qui negant vel extenuant meritum. Cf. etiam Hamel I, 169; 172; 186—191.

aeternam, justitiae quidem stipendium est, sed tibi gratia est, cui gratia est et ipsa justitia. Tibi enim tamquam debita redderetur, si ex te tibi esset justitia cui debetur. Nunc vero de plenitudine ejus accepimus non solum gratiam, qua nunc juste in laboribus usque in finem vivimus, sed etiam gratiam pro hac gratia (Jo. 1, 16), ut in requie postea sine fine vivamus."[8]

Plura doctrinae capita, quae in hoc textu continentur, alibi multoties repetit Augustinus: vita aeterna justis ex debito redditur „non enim donatur talibus, sed debetur",[9] ergo eorum justitia est vera justitia,[10] attamen non ex ipsis est, sed ex Deo, qui justificat gratis,[11] qui etiam gratis dat gratiam fidei, initium verae justitiae;[12] igitur vita aeterna redditur ex debito et datur ex gratia, quia merita justorum sunt dona Dei.[13] „Unde et ipsa vita aeterna quae utique in fine sine fine habebitur, et ideo meritis praecedentibus redditur; tamen quia eadem merita, quibus redditur, non a nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam, etiam ipsa gratia nuncupatur, non ob aliud nisi quia gratis datur; nec ideo quia non meritis datur, sed quia data sunt et ipsa merita quibus datur."[14]

---

[8] Ep. 194, c. 5, n. 19—21. ML 33, 881 sq. CSEL 57, 191, 7—193, 1.

[9] Serm. 299, n. 5. ML 38, 1370. Item: Serm. 43, n. 1. l. c., 254; Serm. 108, n. 7. l. c., 636; Serm. 123, n. 5. l. c., 686; Serm. 158, n. 2. l. c., 863; Serm. 298, n. 4 sq. l. c., 1366 sq.; De Civ. Dei XX, c. 24, n. 2. ML 41, 699. CSEL 40 II, 494, 27—495, 20; En. in Ps. 83, n. 16. ML 37, 1067 sq.; De gr. et lib. arb., c. 6, n. 14 sq. ML 44, 890, etc.

[10] Ep. 194, c. 3, n. 6. ML 33, 876. CSEL 57, 181, 9—13; De Trin. XIV, c. 15, n. 21. ML 42, 1051 sq.; C. Jul. IV, c. 3, n. 17. ML 44, 746; De nat. et gr., c. 2, n. 2. ML 44, 248 sq. CSEL 60, 234, 7—12; En. in Ps. 118, Serm. 29, n. 6. ML 37, 1587 sq.

[11] Ep. 194, c. 3, n. 6. ML 33, 876. CSEL 57, 181, 9—13; En. in Ps. 62, n. 12. ML 36, 754 sq.; En. in Ps. 118, Serm. 7, n. 1—3. ML 37, 1516 sq.

[12] De gestis Pelagii, c. 14, n. 34. ML 44, 340 sq. CSEL 42, 89, 17—90, 17; De praed. sanctorum, c. 8, n. 15; c. 16, n. 32. ML 44, 971 sq. 983; et passim in operibus contra Semipelagianos scriptis; Ep. 194, c. 5, n. 19. ML 33, 880. CSEL 57, 190, 12—18. Cf. ib., c. 3, n. 9. ML 33, 877. CSEL 57, 183, 1—19; Ep. 186, c. 3, n. 7. n. 10. ML 33, 818. 819 sq. CSEL 57, 50, 16—51, 7. 52, 24—54, 3.

[13] Enchir., c. 107. ML 40, 282; De Trin. XIII, c. 10, n. 14. ML 42, 1024; Serm. 131, n. 8. ML 38, 733; Serm. 170, n. 10. l. c., 932; En. in Ps. 70, Serm. 2, n. 5. ML 36, 895; in Ps. 98, n. 8. ML 37, 1264; in Ps. 102, n. 7. l. c., 1321 sq. De gr. et lib. arb., c. 6, n. 15. ML 44, 891; Conf. IX, c. 13, n. 34. ML 32, 778. CSEL 33, 224, 2—4, etc.

[14] Ep. 194, n. 19. ML 33, 881. CSEL 57, 190, 21—191, 5.

Hujus veritatis (secundum utrumque respectum) egregium exemplum est ipse S. Paulus: „Proinde consideremus ipsa merita apostoli Pauli, quibus dixit coronam justitiae redditurum judicem justum, et videamus utrum merita ipsius tamquam ipsius, id est, ex ipso illi comparata, an dona sint Dei. Bonum, inquit, certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. Primo ista bona opera, si non ea praecessissent cogitationes bonae, nulla essent. Attendite itaque quid de ipsis cogitationibus dicat: ait enim scribens ad Corinthios, Non quia idonei sumus cogitare aliquid a nobis tamquam ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est (2. Cor. 3, 5). Deinde singula inspiciamus: Bonum, inquit, certamen certavi. Quaero qua virtute certaverit; utrum quae illi ex semetipso fuerit, an quae desuper data sit. Sed absit ut tantus doctor ignoraverit legem Dei, cujus vox est in Deuteronomio: Ne dicas in corde tuo, Fortitudo mea et potentia manus meae fecit mihi virtutem magnam hanc: sed memoraberis Domini Dei tui, quia ipse tibi dat fortitudinem facere virtutem (Dt. 8, 17. 18). Quid autem prodest bonum certamen, nisi sequatur victoria? Et quis dat victoriam, nisi ille de quo dicit ipse, Gratias Deo qui dat nobis victoriam per Dominum Jesum Christum? (1. Cor. 15, 57.) — Deinde dixit, Cursum consummavi: sed ille hoc dixit, qui alio loco dicit, Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei (Rom. 9, 16)... Postremo dixit, Fidem servavi; sed ille hoc dixit, qui alibi ait: Misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem (1. Cor. 7, 25). Non enim dixit, Misericordiam consecutus sum, quia fidelis eram; sed ut fidelis essem; hic ostendens etiam ipsam fidem haberi nisi Deo miserante non posse, et esse donum Dei ... Non quia negavit aut evacuavit opera bona, cum dicat Deum unicuique reddere secundum opera ejus (Rom. 2, 6): sed quia opera sunt ex fide, non ex operibus fides: ac per hoc ab illo sunt nobis opera justitiae, a quo est ipsa fides, de qua dictum est, Justus ex fide vivit“ (Hab. 2, 4).[15]

Et alibi brevius: „... jam proximus palmae, Cursum, inquit, consummavi ... habebat unde gratias ageret, habebat quod peteret; gratias agens de acceptis, petens debita. De quibus acceptis? De indulgentia peccatorum, de illuminatione fidei, de robore spei, de flamma caritatis. Unde autem adhuc Dominum debitorem tenebat? De cetero, inquit, superest mihi corona justitiae. Adhuc ergo mihi aliquid debetur. Quid debetur? Corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex (2. Tim.

[15] De gr. et lib. arb., c. 7, n. 16 sq. ML 44, 891 sq.

4, 7. 8). Primo benignus Pater, ut emeret de lacu miseriae, ut donaret peccata, ut liberaret de luto limi; postea justus judex, reddens bene ambulanti quod promisit, cui primo ut bene ambularet donavit".[16]

In omnibus his locis S. Doctor non negat, sed fortiter sustinet veritatem et realitatem meriti. Facillime potuisset Pelagianorum audaciam et arrogantiam retundere, si simpliciter negasset meritum existere vel ad salutem sufficere; quod tamen minime facit, sed usque ad finem vitae suae veritatem contrariam sustinet. Sic in Retractationibus,[17] in operibus contra Semipelagianos scriptis,[18] tandem in Opere imperfecto contra Julianum: „Et faciam ut in justificationibus meis ambuletis, et judicia mea observetis et faciatis (Ez. 36, 22. 27). His certe operibus merces imputatur secundum debitum; debetur enim merces, si fiant; sed gratia quae non debetur, praecedit ut fiant. D e b e t u r , i n q u a m , b o n a m e r c e s o p e r i b u s h o m i n u m b o n i s ; sed non debetur gratia, quae ipsos homines bonos operatur ex malis."[19]

Tenemus igitur ratam et fixam Augustini doctrinam, non solum in sermonibus, sed etiam in aliis libris enuntiatam, quam usque ad vitae finem fortiter defendit, bonis operibus convenire rationem veri meriti, cui ex justitia praemium debetur. Objectum hujus meriti est tum vita aeterna,[20] tum auxilia ad bene vivendum[21] et augmentum caritatis et gratiae permanentis.[22] Proinde nec aequalia sunt merita singulorum justorum, sed singula bona opera habent

---

[16] En. in Ps. 39, n. 3. ML 36, 434 sq. Similiter: En. in Ps. 100, n. 1 sq. ML 37, 1282—1284; In Jo., tr. 3, n. 10. ML 35, 1400 sq.; Serm. 297, n. 5 sq.; Serm. 333, n. 5. ML 38, 1361 sq. 1466; De gestis Pelagii, c. 14, n. 35. ML 44, 341. CSEL 42, 90, 18—91, 17, etc.

[17] Retr. I, c. 23, n. 3. ML 32, 622. CSEL 36, 109, 17—110, 3 („fidei meritum").

[18] De gr. et lib. arb., c. 6, n. 13—c. 9, n. 21. ML 44, 889—894; De corr. et gr., c. 13, n. 41. ML 44, 942.

[19] Op. imp. c. Jul. I, c. 133. ML 45, 1133. Cf. M a u s b a c h II, 38 sq.

[20] Passim locis citatis.

[21] Cf. De patientia, c. 20, n. 17: „(gratia) . . . dat merita, non meritis datur . . . non solum adjuvat justum, verum etiam justificat impium. Et ideo etiam cum adjuvat justum, et videtur ejus meritis reddi nec sic desinit esse gratia; quoniam id adjuvat quod ipsa est largita." (ML 40, 621. CSEL 41, 682, 9—15.) Ubi excluditur, hominem sine gratia mereri primam gratiam, non autem cum gratia ulteriorem gratiam.

[22] In Jo., tr. 74, n. 2. ML 35, 1827 sq.; In Ep. Jo., tr. 5, n. 4. l. c., 2014; Ep. 186, c. 3, n. 10. ML 33, 819. CSEL 57, 53, 4—54, 3.

suum meritum; sic S. Doctor loquitur de merito fidei,[23] operum caritatis,[24] patientiae,[25] continentiae,[26] virginitatis.[27] Omnibus tamen commune est, quod praemium accipiunt a justitia Dei, et sic verificatur in negotio nostrae salutis: „Universae viae Domini misericordia et veritas“ (Ps. 24, 10),[28] dum misericordia magis elucet in gratuita justificatione peccatoris, veritas seu justitia in retributione, quando malis meritis redduntur supplicia, bonis meritis praemia. „... illi haeretici dicunt, gratiam Dei secundum merita nostra dari, quod omnino falsissimum est; non quia nullum est meritum, vel bonum piorum, vel malum impiorum: alioquin quomodo judicabit Deus mundum? sed misericordia et gratia Dei convertit hominem, de qua Psalmus dicit: Deus meus, misericordia ejus praeveniet me (Ps. 58, 11), ut justificetur impius, hoc est ex impio fiat justus, et incipiat habere meritum bonum, quod Dominus coronabit, quando judicabitur mundus.“[29] Sic redditur unicuique secundum opera ejus (Ps. 61, 13),[30] hac tantum differentia, quod ad malum meritum homo sibi sufficit, ad bonum meritum indiget gratia; in judicio tamen utrumque retributionem habet a divina justitia.

§ 2. De natura meriti[31]

Undenam bonis operibus inest iste valor meritorius? Saepe Augustinus tamquam rationem simpliciter assignat promissionem divinam: „Quid tibi reddet, nisi quod tibi debet? Unde tibi debet? Quid ei dedisti? Quis prior dedit illi, et retribuetur ei (Rom. 11, 35)? Debitorem Dominus ipse se fecit, non accipiendo, sed promittendo; non ei dicitur, Redde quod accepisti,

---

[23] De catech. rudibus, c. 25, n. 47. ML 40, 343; Serm. Wilm. 11, n. 8. MA I, 701, 16 sq.

[24] Serm. 60, n. 7 sq.; Serm. 86, n. 2—5. ML 38, 405 sq. 524—526, et alibi passim in Sermonibus.

[25] De patientia, c. 29, n. 26. ML 40, 625 sq. CSEL 41, 690, 15—691, 10.

[26] De Gen. ad litt. IX, c. 10, n. 17 sq. ML 34, 399 sq. CSEL 28 I, 279, 1—280, 13.

[27] De s. virginitate, c. 21.—c. 27. ML 40, 405—411. CSEL 41, 254, 22—265, 7.

[28] Ep. 194, c. 3, n. 6. ML 33, 876 sq. CSEL 57, 180, 9—181, 13; En. in Ps. 60, n. 9. ML 36, 728; in Ps. 68, Serm. 1, n. 17. l. c., 853; in Ps. 83, n. 16. ML 37, 1067 sq.; in Ps. 137, n. 5. l. c., 1776, etc. Cf. Hamel I, 174—178.

[29] Ep. 214, n. 4. ML 33, 970. CSEL 57, 383, 18—384, 8. Cf. loc. cit. p. 122 sq. in nota 8.

[30] Cf. Ep. 215, n. 1. ML 33, 971 sq. CSEL 57, 387, 16—389, 3.

[31] Cf. Rivière in DTC X, 648—651.

sed, Redde quod promisisti.“[32] Perperam tamen quis putaret, hanc ex mente S. Doctoris esse rationem unicam, et vitam aeternam esse praemium bono operi omnino extrinsecum, sicut Nominalistae quidem docebant.[33] Alibi enim explicat connexionem vitae aeternae cum gratia hujus vitae et praesertim cum caritate ita, sicut planta habetur in radice: „Redeat unusquisque ad cor suum: si ibi invenerit caritatem fraternam, securus sit, quia transiit a morte ad vitam. Jam in dextera est: non attendat quia modo gloria ejus occulta est; cum venerit Dominus, tunc apparebit in gloria. Viget enim, sed adhuc in hieme; viget radix, sed quasi aridi sunt rami; intus est medulla quae viget, intus folia arborum, intus fructus; sed aestatem expectant.“[34]

Sub luce horum principiorum intelligitur, cur etiam parvulis baptizatis vita aeterna debeatur, licet nullum omnino actum elicuerint: „Postremo, qui facere Deum dixisti quod debet, et alta cervice humana merita ventilasti, dic quaeso, quibus meritis parvulorum debeat regnum caelorum. Dicturus es forte, d e b e r e h o c e u m g r a t i a e s u a e, qua opitulante renati sunt. P r o p t e r h a n c e n i m a c c e p t a m j a m v e n i r e i n e j u s r e g n u m m e r e n t u r; sed ipsam gratiam, quam regenerandis exhibet, nullis eorum omnino meritis debet.“[35]

Haec omnia facilius intelliguntur ex iis, quae supra exposita sunt de principio permanente novae cujusdam vitae, quod gratia in anima constituit,[36] et quod est fons aquae salientis in vitam aeternam (Jo. 4, 14); et simul principia illa ex praesenti capite confirmantur.

§ 3. De sufficientia meriti

Secundum omnia, quae hucusque vidimus, opera meritoria certam reddunt assecutionem vitae aeternae, utpote quibus ex justitia debetur, nec opus est adhuc implorare misericordiam divinam, ac si primum opus ejus, ipsa justitia intrinseca, insufficiens esset. Proinde sic loquitur Augustinus vigente jam controversia pelagiana,

---

[32] En. in Ps. 83, n. 16. ML 37, 1068. Similiter: Serm. 108, n. 7. ML 38, 636; Serm. 158, n. 2. l. c., 863; Serm. Morin 13, n. 4sq. MA I, 644, 1—16, etc.

[33] R i v i è r e, DTC X, 701—706.

[34] In Ep. Jo., tr. 5, n. 10. ML 35, 2017. Cf. ib., tr. 8, n. 9. l. c., 2041; En. in Ps. 51, n. 12. ML 36, 607; Serm. 36, n. 4. ML 38, 216; Serm. 169, n. 15. l. c., 923sq; De Trin. XIII, c. 10, n. 14. ML 42, 1024; C. duas epist. Pelag. III, c. 7, n. 19. ML 44, 602. CSEL 60, 509, 14—25.

[35] Op. imp. c. Jul. I, c. 133. ML 45, 1133.

[36] Supra, p. 55—81.

in sermone quodam de S. Stephano: „Domine Jesu, accipe spiritum meum. Hoc stans. Exigebat enim debitum, quando dicebat: Domine Jesu, accipe spiritum meum. Exigebat debitum, quod martyribus promissum erat . . . stans secum ad fiduciam, quia bene militaverat, bene certaverat, hosti non cesserat, timorem calcaverat, carnem spreverat, mundum et diabolum vicerat, inde stabat cum diceret: Domine Jesu, accipe spiritum meum . . . attendens inimicos suos, qui sibi lapidando malum debitum faciebant . . . misertus est eis, et fixit pro eis genu. Pro se stabat, pro eis genua figebat. Discrevit justum a peccatoribus: pro justo stans petebat, quia mercedem exigebat; pro peccatoribus genua fixit, quia sciebat, quam difficile pro tam sceleratis posset exaudiri.“[37]

Sed forte haec valent de martyribus tantum, vel de aliis magnis sanctis? Attamen alibi de omnibus justis dicit: „Non timet judicari, qui impetraverit ante salvari... Per misericordiam quippe adjuvamur ad faciendam justitiam, ut securi ad judicium veniamus.“[38] Nullus ergo timor, ne justitia nostra non sufficiat; sed nulla quoque arrogantia pharisaica, quia ipsa justitia, quam judici praesentamus, per ejus misericordiam nobis donata est.

Sed ecce, objiciuntur a fautoribus duplicis justitiae alii textus, et quidem haud pauci, qui cum hac fiducia et securitate parum congruere videntur, ubi dicitur, neminem coram Deo justum esse, licet hominibus et sibi ipsi justus videatur, omnibus in judicio invocandam esse misericordiam Dei: „Ne intres in judicium cum servo tuo. (Ps. 142, 2.) Quare, Ne intres in judicium cum servo tuo? Misericordia tua mihi opus est. Nam si judicium exhibueris sine misericordia, quo ibo? Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit? (Ps. 129, 3.) Ne intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Ergo si non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, quia quicumque hic vivit, quantumlibet juste vivat, vae illi si cum illo in judicium intraverit Deus . . .“[39] „Et vae etiam laudabili vitae

---

[37] Serm. 315, n. 6 sq. ML 38, 1428 sq. Cf. Serm. 316, n. 3. l. c., 1433 sq.

[38] En. in Ps. 150, n. 3. ML 37, 1963. Cf. Serm. 173, n. 1. ML 38, 937 sq.; In Ep. Jo., tr. 9, n. 2—8. ML 35, 2045—2050. Quaest. in Hept., II, c. 24. ML 34, 603 s q. CSEL 28 III, 104, 25—105, 10; En. in Ps. 7, n. 8. ML 36, 102 sq.; in Ps. 88, Serm. 1, n. 15. ML 37, 1128; in Ps. 100, n. 2. l. c., 1283.

[39] En. in Ps. 42, n. 7. ML 36, 481. Ex eodem numero citantur quaedam a Seripando CT V, 669, 34—39.

hominum, si remota misericordia discutias eam.“[40] „Non commendo opera manuum mearum; timeo enim, ne cum inspexeris, plura invenias peccata quam merita.“[41] Non enim omnia implemus, quae Deus a nobis exigit. „Quamdiu (caritas) augeri potest, profecto illud quod minus est quam debet, ex vitio est. Ex quo vitio non est justus in terra, qui faciat bonum et non peccet (Eccles. 7, 21; Ps. 13, 3). Ex quo vitio non justificabitur in conspectu Dei omnis vivens.“ (Ps. 142, 2.)[42]

Quid dicendum de his similibusque textibus? Valentne ad evertendas ideas fundamentales Augustini, quas supra exposuimus? Talis incohaerentia non facile admittenda est, et examen textuum demonstrabit, nullam esse contradictionem nisi mere apparentem. Ad intelligentiam textuum juvabunt observationes sequentes:

1. Saepe Augustinus non considerat hominem praecise in momento mortis, sed respicit totam vitam complexive; et quid tunc habetur? Ex una parte homo, miser peccator, qui obstrictus fuit peccato originali, multa insuper addidit peccata propria, forte post justificationem relapsus est vel saltem commisit multa peccata minora — ex altera parte Deus misericors, qui gratis justificat, a cujus misericordia tota salus hominis expectatur. Nonne in hac suppositione verum est: „Opera manuum mearum non commendo; timeo enim, ne cum inspexeris, plura invenias peccata quam merita?“[43] Simul tamen, si consideratur status actualis, in quo homo per gratiam Dei est, non minus verum est: „Indulgentiam donavit, coronam reddet; donator est indulgentiae, debitor coronae. Unde debitor? accepit aliquid? Cui debet aliquid Deus? Ecce videmus quia tenet eum debitorem Paulus, consecutus misericordiam, exigens veritatem ... Misericordiam mihi erogavit, inquit, ut faceret

---

[40] Conf. IX, c. 13, n. 34. ML 32, 778. CSEL 33, 223, 23 sq. Hic textus videtur quasi Achilles argumentorum ex Augustino; citatur a Pighio (CT XII, 666, 47 sq. — non Annot. in Job, c. 9, ut ibi annotat editor), et a Seripando (CT V, 486, 44 sq.; 670, 17—30).

[41] En. in Ps. 137, n. 18. ML 37, 1783. Citatur a Thoma Sanfelice (CT V, 353, 28—30). Similiter: En. 2 in Ps. 30, n. 6. ML 36, 233 (citatur a Laurentio Mazochio, CT V, 585, 5 sq.); De corr. et gr., c. 13, n. 40 sq. ML 44, 941 (cit. a Seripando CT V, 667, 43—668, 13); En. 2 in Ps. 30, Serm. 3, n. 3. ML 36, 249; in Ps. 147, n. 12. ML 37, 1922; C. Crescon. III, c. 80, n. 92. ML 43, 545 sq. CSEL 52, 495, 20—28.

[42] Ep. 167, c. 4, n. 15. ML 33, 739. CSEL 44, 602, 14—18 (cit. a Seripando, CT V, 669, 48—670, 1).

[43] En. in Ps. 137, n. 18. ML 37, 1783.

me innocentem; nam prius fui blasphemus et injuriosus; sed ex illius gratia factus sum innocens. Ille autem qui praerogavit misericordiam, negare poterit debitum?“[44]

2. Quando sermo est de justis,[45] saepe imperfectio justitiae est relativa, ex limitatione creaturae, cujus finita justitia, comparata infinitae justitiae Dei, quasi nulla est. „Justitia perfecta non est nisi in Angelis et vix in Angelis, si Deo comparentur: tamen si qua perfecta justitia animarum et spirituum est quos Deus creavit, in Angelis est sanctis, justis, bonis, nullo lapsu aversis, nulla superbia cadentibus, sed manentibus semper in contemplatione Verbi Dei, et nihil aliud dulce habentibus, nisi a quo creati sunt; in ipsis perfecta justitia est . . .“[46] Alibi de iisdem Angelis, explicando textum Job 25, 4—6, postquam aliam explicationem praemisit: „Quamquam in comparatione justitiae Dei, si nec sancti in caelis Angeli justi esse dicantur, non mihi videtur importuna sententia: non quia ut hoc essent, a justitia lapsi sunt; sed quia facti sunt, et Deus non sunt, tantumque spiritualis luminis habere non possunt, quantum habet ille a quo facti sunt. Ibi enim summa justitia, ubi summa sapientia: et hoc Deus est, de quo dictum est, Soli sapienti Deo (Rom. 16, 27). Sed alia quaestio est, quantum justitiae ipsius capiant Angeli, quantumque non capiant. Cujus enim participatione justi sunt, ejus comparatione nec justi sunt.“[47] Ubi manifesto liquet, talem imperfectionem quae in participatione necessario involvitur, non solum non obstare assecutioni, immo nec possessioni vitae aeternae.

Similiter explicari possunt etiam illi loci, in quibus imperfectio justitiae „vitio“ tribuitur; sic in Epistola 167, quem locum citat

---

[44] En. in Ps. 83, n. 16. ML 37, 1067 sq. Cf. Serm. 169, n. 3. ML 38, 917.

[45] Interdum difficile determinatur, utrum sermo sit de justis an de peccatoribus, id est, in peccato gravi constitutis, v. g. Serm. 259, n. 3. ML 38, 1198 sq; En. in Ps. 129, n. 2—5. ML 37, 1697—1700, ubi n. 2: „vitam flagitiis et facinoribus coopertam“ commemorat, sed in n. 4 videtur etiam in peccatore, cujus vox est hic psalmus, supponere caritatem. Similiter: in Ps. 142, n. 6. ML 37, 1848 sq.

[46] In Ep. Jo., tr. 4, n. 3. ML 35, 2006.

[47] Ad Orosium contra Priscillianistas et Origenistas, c. 10, n. 13. ML 42, 677. Cf. Annot. in Job, c. 9. ML 34, 834 sq. CSEL 28 III, 526, 25—529, 1; ib., c. 15. ML 34, 841. CSEL 28 III, 540, 24—27; De pecc. mer. II, c. 11, n. 16. ML 44, 161. CSEL 60, 88, 21—89, 2; De perf. just., c. 14, n. 32. ML 44, 308 sq. CSEL 42, 32, 22—33, 21.

Seripandus:[48] „Et ut generaliter breviterque complectar quam de virtute habeam notionem, quod ad recte vivendum attinet, virtus est caritas, qua id quod diligendum est diligitur. Haec in aliis major, in aliis minor, in aliis nulla est, plenissima vero quae jam non possit augeri, quamdiu hic homo vivit, (est) in nemine; quamdiu autem augeri potest, profecto illud quod minus est quam debet, ex vitio est. Ex quo vitio non est justus in terra, qui faciat (al. faciet) bonum et non peccet (al. peccabit) (3. (1). Reg. 8, 46); ex quo vitio non justificabitur in conspectu Dei omnis vivens. Propter quod vitium, si dixerimus quod peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, et veritas in nobis non est (1. Jo. 1, 8); propter quod etiam quantumlibet profecerimus, necessarium est nobis dicere: Dimitte nobis debita nostra; cum jam omnia in baptismo dicta, facta, cogitata dimissa sint.“[49]

Ad intellegentiam istius loci juvabit, juxtaponere aliquos textus parallelos, omnes ex scriptis antipelagianis; sic De natura et gratia, postquam exposuit, etiam in Abel, quem Sacra Scriptura vocat justum, fuisse peccata venialia, concludit: „Postremo, si in Abel justo caritas Dei, qua una vere justus est quicumque justus est, adhuc erat quo posset et deberet augeri, quidquid minus erat, ex vitio erat. Et cui non minus sit, donec ad illam ejus fortitudinem veniatur, ubi tota hominis absorbeatur infirmitas?“[50] Item in De perfectione justitiae: „In qua plenitudine caritatis (sc. in altera vita) praeceptum illud implebitur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua (Dt. 6, 5). Nam cum est adhuc aliquid carnalis concupiscentiae, quod vel continendo frenetur, non omni modo ex tota anima diligitur Deus. Non enim caro sine anima concupiscit, quamvis caro concupiscere dicatur, quia carnaliter anima concupiscit. Tunc erit justus sine ullo omnino peccato, quando nulla lex erit in membris ejus repugnans legi mentis ejus (Rom. 7, 23), sed prorsus toto corde, tota anima, tota mente diliget Deum, quod est primum summumque praeceptum“ (Mt. 22, 37. 38).[51] Item De spiritu et littera: „Porro si quanto major notitia, tanto erit major dilectio, profecto nunc

[48] CT V, 669, 48—670, 1 (nonnisi partem textus suprascripti).

[49] Ep. 167, c. 4, n. 15. ML 33, 739. CSEL 44, 602, 10—603, 6. Similiter: De nat. et gr., c. 38, n. 45. ML 44, 269. CSEL 60, 267, 2—6; De spir. et litt., c. 36, n. 64. ML 44, 243. CSEL 60, 224, 18—225, 15.

[50] De nat. et gr., c. 38, n. 45. ML 44, 269. CSEL 60, 267, 2—6.

[51] De perf. just., c. 8, n. 19. ML 44, 300 sq. CSEL 42, 17, 24—18, 8.

quantum deest dilectioni, tantum perficiendae justitiae deesse credendum est.“[52]

Quid ex his textibus sequitur? Primo, non dicitur illum defectum caritatis esse vitium nec esse peccatum, sed „ex vitio“. Hoc vitium nihil aliud est ac concupiscentia.[53] Quomodo autem haec concupiscentia diminuat justitiam praesentis vitae, supra explicatum est, ubi de peccato veniali.[54] Secundo: ubi non agitur de peccato veniali, sed mere de minore intensitate caritatis viae in comparatione cum caritate patriae, hic defectus non est peccatum veri nominis. Sic explicite in loco citato De spiritu et littera: „Neque enim, si esse nondum potest tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni plenae perfectaeque debetur, jam culpae deputandum est. Aliud est enim totam nondum assequi caritatem, aliud nullam sequi cupiditatem. Quamobrem debet homo, quamvis longe minus amet Deum, quam eum potest amare conspectum, nihil tamen appetere illicitum, sicut etiam in his quae adjacent sensibus corporis, potest oculus nullis tenebris delectari, quamvis non possit in fulgentissima luce defigi.“[55] Deinde describit hanc imperfectionem justitiae, quae consistit in peccatis venialibus.[56]

Tertio: defectus caritatis, qua caritas remanet infra gradum attingibilem in hac vita, peccatum est, quia provenit ex neglegentia culpabili in se vel in causa: „Peccatum est autem, cum vel non est caritas quae esse debet, vel minor est quam debet, sive hoc voluntate vitari possit, sive non possit: quia si potest, praesens voluntas hoc facit; si autem non potest, praeterita voluntas hoc fecit; et tamen vitari potest, non quando voluntas superba laudatur, sed quando humilis adjuvatur.“[57]

Remanet ergo dicendum: defectus ille caritatis vel est peccatum veniale, vel ne veniale quidem; nam si „aliud est, totam nondum assequi caritatem, aliud, nullam sequi cupiditatem“, et si illud „sequi cupiditatem“ non semper est peccatum mortale,[58] profecto

---

[52] De spir. et litt., c. 36, n. 64. ML 44, 243. CSEL 60, 224, 18—20.

[53] Sic clare in textu citato De perf. just. (nota 51); item, De nat. et gr., (nota 50), in iis, quae immediate praecedunt verba citata. Cf. etiam Ep. 167, c. 3, n. 10. ML 33, 737. CSEL 44, 597, 5—11 (p. 109, nota 29).

[54] Supra, p. 109 sq.

[55] De spir. et litt., c. 36, n. 65. ML 44, 244. CSEL 60, 225, 19—226, 3. Cf. CT V, 483, 47—484, 2; 532, 37—533, 21.

[56] De spir. et litt. l. c., 244 sq. CSEL 60, 226, 3—228, 2.

[57] De perf. just., c. 6, n. 15. ML 44, 298. CSEL 42, 13, 10—15.

[58] Cf. De spir. et litt., c. 36, n. 65. ML 44, 244. CSEL 60, 226, 19—227, 4.

defectus ille caritatis certe non est plus quam peccatum veniale, nec magis impedit salutem quam istud. Nullatenus ergo sequitur hominis meritum insufficiens esse ad assequendam vitam aeternam. Tamen praecipi potest perfecta caritas, non ut legis materia, sed ut finis, ad quem homo semper tendere debet, ne umquam credat, se jam assecutum esse metam: „Cur ergo non praeciperetur homini ista perfectio, quamvis eam in hac vita nemo habeat? Non enim recte curritur, si quo currendum est nesciatur. Quomodo autem sciretur, si nullis praeceptis ostenderetur? Sic ergo curramus, ut comprehendamus. Omnes enim qui recte currunt, comprehendent: non sicut in agone theatrico, omnes quidem currunt, sed unus accipit palmam (Vulg. bravium) (1. Cor. 9, 24). Curramus credendo, sperando, desiderando; curramus corpus castigando, et eleemosynas in bonis dandis malisque ignoscendis, hilariter et ex corde faciendo, et currentium vires ut adjuventur orando; et sic audiamus praecepta perfectionis, ne currere negligamus ad plenitudinem caritatis.“[59] Hoc modo si bene currimus, perfecti sumus pro modo hujus vitae, et quod perfectioni deest, dabitur in altera vita, cum venerit quod perfectum est, et destruetur quod ex parte est (1. Cor. 13, 10).[60]

3. Incerti sumus de nostra propria justitia. Verae quidem justitiae certe vita aeterna debetur,[61] sed nemo cum omnimoda certitudine asserere potest: Ego sum in statu verae justitiae: „Vix enim de nobis judicamus, quanto minus possumus judicare de vobis? Quid est, Vix de nobis judicamus? Quia cum rex justus sederit in throno, quis gloriabitur castum se habere cor? (Prov. 20, 8. 9). Forte tu non invenis aliquid in conscientia tua; et invenit ille qui melius videt, cujus acies divina penetrat altiora; videt forte aliquid, invenit forte aliquid . . .“[62] „Multum timeo occulta mea, quae norunt oculi tui, mei autem non.“[63]

4. Hoc non obstat, quominus vera sit justitia verumque meritum, sed obstat securitati, maxime, quia homo etiam si certus esset

---

[59] De perf. just., c. 8, n. 19. ML 44, 301. CSEL 42, 18, 9—19.

[60] L. c., 300. CSEL 42, 17, 15—24.

[61] Supra, p. 121—126.

[62] Serm. 93, n. 14. ML 38, 578.

[63] Conf. X, c. 37, n. 60. ML 32, 804. CSEL 33, 272, 14 sq. Similiter: Serm. 170, n. 5. ML 38, 929 sq.; En. in Ps. 38, n. 10. ML 36, 421; in Ps. 42, n. 7. l. c., 481; in Ps. 142, n. 6. ML 37, 1848 sq.; in Ps. 147, n. 12. l. c., 1922; De perf. just., c. 15, n. 33 sq. ML 44, 309. CSEL 42, 33, 22—35, 15; Ep. 140, c. 31, n. 75. ML 33, 572. CSEL 44, 223, 1—3.

de sua justitia praesenti, minime tamen certus est de sua perseverantia in hac justitia: „Novi quia justitia Dei mei manet; utrum mea maneat, nescio. Terret enim me Apostolus dicens: Qui se putat stare, videat ne cadat“ (1. Cor. 10, 12).[64] Ideo justi debent ambulare cum timore salutari, „non sibi arrogando tamquam de sua virtute fiduciam permanendi, nec dicendo in abundantia sua, non movebimur in aeternum (Ps. 29, 7), propter quod eis dicitur: Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore, ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via justa (Ps. 2, 11. 12). Neque enim ait, Et non veniatis ad viam justam, sed Ne pereatis, inquit, de via justa; quid ostendens, nisi eos esse commonitos, qui jam ambulant in via justa, ut in timore Deo serviant, id est, non altum sapiant, sed timeant?“ (Rom. 11, 20).[65]

Jam tangimus quaestionem de dono perseverantiae, intime connexam cum mysterio praedestinationis,[66] ubi homini etiam justissimo maxime convenit humilis subjectio. Licet enim peccata venialia per se non impediant meritum vitae aeternae,[67] tamen — en iterum novum quaestionis aspectum! —

5. qui dedignatur se confiteri peccatorem, per talem superbiam periculum incurrit, ne a Deo juste derelinquatur et pereat.[68]

Ex iis, quae hucusque exposuimus, hoc saltem jam satis constat: probari non potest, secundum mentem Augustini justitiam inhaerentem esse insufficientem ad salutem. Sed ulterius progredi possumus; ostendemus, mentem sancti Doctoris hanc esse:

6. In potestate hominis justi est, ut suppleat imperfectionem justitiae suae, qualiscumque sit haec imperfectio, ita ut in judicio habeat plenum jus ad vitam aeternam.

Ad hanc demonstrationem praemitti oportet aliquam explicationem illius quaestionis: quo sensu verum est, Deum coronare justos in misericordia? En textum in quo satis insistit Seripandus: „Numerus ergo sanctorum per Dei gratiam Dei regno praedestinatus, donata sibi etiam usque in finem perseverantia, illuc integer perducetur, et illic integerrimus jam sine fine beatissimus servabitur, adhaerente sibi misericordia Salvatoris sui, sive cum convertuntur, sive cum praeliantur, sive cum coronantur. Nam et tunc esse illis Dei

---

[64] En. in Ps. 41, n. 12. ML 36, 472. Cf. Serm. 158, n. 4. ML 38, 864.

[65] De corr. et gr., c. 9, n. 24. ML 44, 930. Cf. sqq. in eodem n. 24.

[66] Cf. ib., c. 6, n. 10—c. 9, n. 25. ML 44, 921—931; De dono perseverantiae, per totum (ML 45, 993—1034).

misericordiam necessariam Sancta Scriptura testatur, ubi sanctus de Domino Deo suo dicit animae suae: Qui coronat te in miseratione et misericordia (Ps. 102, 4). Dicit etiam Jacobus Apostolus: Judicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam (Jac. 2, 13): ubi ostendit etiam in illo judicio, in quo justi coronantur, injustique damnantur, alios cum misericordia, alios sine misericordia necessaria est, qua fit beatus, cui non imputavit Dominus suo dicit: Ut in illa miseratione cum fratribus te recipiam (2. Mach. 7, 29). Cum enim rex justus, sicut scriptum est, sederit in throno, non adversabitur ante eum omne malum. Quis gloriabitur castum se habere cor, aut quis gloriabitur mundum se esse a peccato? (Prov. 20, 8. 9., secundum LXX). Ac per hoc etiam ibi Dei misericordia necessaria est, qua fit beatus, cui non imputavit Dominus peccatum (Ps. 31, 2). Sed tunc pro bonorum meritis justo judicio etiam ipsa misericordia tribuetur. Cum enim dicitur: Judicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam: manifestatur in his, in quibus inveniuntur bona opera misericordiae, judicium cum misericordia fieri ac per hoc etiam ipsam misericordiam meritis bonorum operum reddi.[69] Non sic est nunc quando non solum nullis bonis, sed etiam multis malis operibus praecedentibus, misericordia ejus praevenit hominem, ut liberetur a malis, et quae fecit, et quae facturus fuerat, nisi Dei gratia regeretur, et quae passurus fuerat in aeternum, nisi erueretur a potestate tenebrarum, et transferretur in regnum Filii caritatis Dei (Col. 1, 13). Verumtamen, quia et ipsa vita aeterna, quam certum est bonis operibus debitam reddi, a tanto Apostolo gratia Dei (Rom. 6, 23) dicitur, cum gratia non operibus reddatur, sed gratis detur; sine ulla dubitatione confitendum est, ideo gratiam vitam aeternam vocari, quia his meritis redditur, quae gratia contulit homini. Recte quippe ipsa intelligitur, quae in Evangelio legitur: Gratia pro gratia (Jo. 1, 16), id est, pro his meritis, quae contulit gratia."[70]

Textum hunc integrum exhibuimus, quia optimum exemplum praebet aequivocationum, quas quis pati potest, sed simul in se habet suam explicationem congruam. Percurramus singula elementa:

a) Clare affirmatur etiam in judicio justis misericordiam Dei

---

[67] Cf. De pecc. mer. II, c. 16. n. 24. ML 44, 165 sq. CSEL 60, 96, 10—97, 19.

[68] Cf. De pecc. mer. II, c. 10, n. 14. ML 44, 160. CSEL 60, 86, 10—23; En. in Ps. 42, n. 7. ML 36, 481 sq.; in Ps. 142, n. 6. ML 37, 1848; Serm. 170, n. 7. ML 38, 930. CT V, 594, 4—36.

[69] Hucusque citat Seripandus (CT V, 667, 43—668, 13).

[70] De corr. et gr., c. 13, n. 40 sq. ML 44, 941 sq.

necessariam esse, sicut et alibi asseritur.[71] Sed quaerendum est: requirituerne misericordia Dei ad producendum aliquem novum effectum, vel praerequiritur, ita ut hic et nunc perseverans effectus sufficiat? Si nulla ratio haberetur contextus et totius complexus doctrinae, videri posset admittendum esse primum, ut scilicet peccata simul cum meritis existentia non imputarentur; sed si totum spectatur, tenendum est:

b) misericordia Dei requiritur hoc sensu, quod sine praecedente misericordia[72] in momento judicii nulla essent merita, quibus nunc ex debito reddenda esset vita aeterna (sic clare in illo ultimo inciso, quod Seripandus non citavit).

c) Tandem et maxime: si insuper misericordia Dei requiritur ad aliquem novum effectum producendum, haec nova applicatio misericordiae Dei tribuitur pro bonorum operum meritis, ergo ex debito! Sic in illa parte textus, per quam Seripandus suam citationem concludit, ita ut re vera mirum sit, quomodo hunc textum tamquam sibi faventem adduxerit. Ceteroquin haec idea frequentissima est apud Augustinum. Sit unum alterumque exemplum: „Beati, inquit, misericordes, quoniam ipsorum miserebitur (Mt. 5, 7). Ergo in illo judicio erit et misericordia, sed non sine judicio. Si enim non in quemlibet, sed in eum erit misericordia, qui praerogavit misericordiam, et ipsa misericordia justa erit, quia confusa non erit. Misericordia est certe ut dimittantur peccata, misericordia est ut tribuatur vita aeterna; vide ibi judicium: Dimittite, et dimittetur vobis; date, et dabitur vobis (Lc. 6, 37. 38). Certe, dabitur vobis, et dimittetur vobis, misericordia est. Si inde recessisset judicium, non diceret: In qua mensura mensi fueritis, in ea remetietur vobis“ (Mt. 7, 2).[73] „Beatus cui non imputavit Dominus peccatum (Ps. 31, 2). Non enim imputat his qui fideliter ei dicunt: Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris (Mt. 6, 12). Et juste non

---

[71] Ep. 140, c. 31, n. 75. ML 33, 572. CSEL 44, 223, 1—3; En. in Ps. 147, n. 12. ML 37, 1922; Serm. 170, n. 6. ML 38, 930; De spir. et litt., c. 33, n. 59. ML 44, 239 sq. CSEL 60, 218, 19—219, 4.

[72] De misericordia praecedente, et quidem secundum tempus praecedente judicium, cf. En. in Ps. 39, n. 3. ML 36, 434; in Ps. 100, n. 1—3. ML 37, 1282—1285; in Ps. 118, Serm. 7, n. 2. l. c., 1517; in Ps. 137, n. 5. l. c., 1776; Ad Simpl. I, q. 2, n. 3. ML 40, 113; Serm. 131, n. 8. ML 38, 733; Serm. 297, n. 6. l. c., 1372; Hamel I, 174—191, praesertim 174—178.

[73] En. 2 in Ps. 32, Serm. 1, n. 11. ML 36, 285.

imputat, quia justum est quod ait: In qua mensura mensi fueritis, in eadem remetietur vobis“ (Mt. 7, 2).[74] „Et cum damnat, justus est, et cum miseretur, justus est. Quid enim tam justum, quam reddere misericordiam praeroganti? Quid tam justum, quam ut in qua mensura mensi fueritis, in ea remetiatur vobis?“ (Mt. 7, 2).[75]

Idem constanter docet Augustinus, quando explicat, quid mortuis prosint nostra suffragia, nostrae eleemosynae, sacrificium eucharisticum a nobis oblatum. Responsum semper est: illis mortuis prosunt haec omnia, qui viventes meruerunt, ut haec sibi prodessent.[76]

Haec idea invenitur etiam in textu quodam jam supra citato,[77] nempe ex Confessionibus. Non inutile erit ponere textum Seripandi, in quo illo loco utitur: „Si licet mihi de perfectione justitiae operum meorum dubitare, cur non licebit ad Dei misericordiam recurrere, ut me adjuvet propter purissimam et perfectissimam justitiam Jesu Christi, et in eo confidere, qui dilexit me et tradidit semetipsum pro me (Gal. 2, 20), et sic sperare in duplici justitia? Propterea Augustinus, cum pro matre oraret jam defuncta, tamquam rationem redderet, cur oraret pro ea, cujus vita fuerat fide moribusque laudabilis, ait: ‚Non audeo dicere, ex quo eam per baptismum regenerasti, nullum verbum exisse ab ore ejus contra praeceptum tuum. Et dictum est a veritate, Filio tuo: Si quis dixerit fratri suo: Fatue, reus erit gehennae ignis‘ (Mt. 5, 22), quasi diceret: Ora pro ea propter peccata, quae potuit commisisse. Et subjungit: ‚Et vae etiam laudabili vitae hominum, si remota misericordia discutias eam.‘ Ac si dicat: Alia ratio est orandi, quia non solum vita hominum

---

[74] De perf. just., c. 6, n. 15. ML 44, 298. CSEL 42, 13, 4—10.

[75] En. in Ps. 147, n. 13. ML 37, 1922. Similiter: En. in Ps. 111, n. 4. ML 37, 1469. Cf. ib., n. 5; En. in Ps. 129, n. 3—5. l. c., 1698—1700; in Ps. 143, n. 8. l. c., 1861 sq; De pecc. mer. II, c. 16, n. 24. ML 44, 166. CSEL 60, 97, 6—10; De perf. just., c. 15, n. 34. ML 44, 310. CSEL 42, 35, 1—15; Ep. 140, c. 34, n. 79. ML 33, 574. CSEL 44, 227, 15—23; Ep. 167, c. 6, n. 19. ML 33, 740 sq. CSEL 44, 606, 4—607, 5; De spir. et litt., c. 33, n. 59. ML 44, 239 sq. CSEL 60, 218, 26—219, 4.

[76] Quaest. Evang. II, 38. ML 35, 1351; Enchir., c. 109 sq. ML 40, 283; Serm. 172, n. 2. ML 38, 936 sq; De cura pro mortuis gerenda, c. 1, n. 2 sq; c. 18, n. 22. ML 40, 593. 609 sq. CSEL 41, 622, 10—624, 2. 658, 8—659, 8; De Civ. Dei XXI, c. 24, n. 2. ML 41, 737. CSEL 40 II, 559, 5—17; De octo Dulcitii quaest., q. 2, n. 1—4 (cit. De cura pro mortuis gerenda, c. 1, et Enchir., c. 109 sq.). ML 40, 157 sq.

[77] Supra, p. 128 sq., nota 40.

misericordia indiget propter peccata, verum etiam si laudabilis fuerit humano judicio. Demum concludit Augustinus et pro bonis matris operibus gratias agit Deo, pro peccatis autem Christi justiam implorat. ‚Ego itaque', inquit, ‚laus mea et vita mea, Deus cordis mei, sepositis paulisper ejus bonis actionibus, pro quibus tibi gaudens gratias ago, nunc pro peccatis matris meae deprecor te, exaudi me per medicinam vulnerum nostrorum, quae pependit in ligno et sedens ad dexteram tuam te interpellat pro nobis' (Rom. 8, 34). Ubi duplicis Christi, peracti sc. et praesentis, mentionem facit."[78]

Nunc vero videamus integrum textum (n. 34): „Ego autem jam sanato corde ab illo vulnere, in quo postea redargui carnales affectus (ML: poterat redargui carnalis affectus) fundo tibi, Deus noster, pro illa famula tua longe aliud lacrimarum genus, quod manat de concusso spiritu consideratione periculorum omnis animae, quae in Adam moritur. Quamquam illa in Christo vivificata (1. Cor. 15, 22) etiam nondum a carne resoluta sic vixerit, ut laudetur nomen tuum in fide moribusque ejus, non tamen audeo dicere, ex quo eam per baptismum regenerasti, nullum verbum exisse ab ore ejus contra praeceptum tuum. Et dictum est a veritate, filio tuo: Si quis dixerit fratri suo: Fatue, reus erit gehennae ignis (Mt. 5, 22); et vae etiam laudabili vitae hominum, si remota misericordia discutiam (ML: discutias) eam. Quia omnino (ML: vero) non exquiris delicta vehementer, fiducialiter speramus aliquem apud te locum (ML add.: invenire indulgentiae). Quisquis autem tibi enumerat vera merita sua, quid tibi enumerat nisi munera tua? O si cognoscant se homines homines, et qui gloriatur, in Domino glorietur! (2. Cor. 10, 11).[79] (n. 35): Ego itaque, laus mea et vita mea, Deus cordis mei, sepositis paulisper bonis ejus actibus, pro quibus tibi gaudens gratias ago, nunc pro peccatis matris meae deprecor te: exaudi me per medicinam vulnerum nostrorum, quae pependit in ligno et sedens ad dexteram tuam te interpellat pro nobis (Rom. 8, 34).[80] Scio misericorditer operatam, et ex corde dimisisse debita debitoribus suis; dimitte et tu illi (ML: illi et tu) debita sua, si qua etiam contraxit per tot annos post aquam salutis. Dimitte, Domine,

---

[78] CT V, 670, 14—30. Textus citatus invenitur Conf. IX, c. 13, n. 34 sq. ML 32, 778. CSEL 33, 223, 19—224, 9.

[79] Vel potius 1. Cor. 1, 31?

[80] Quae sequuntur, jam non citat Seripandus.

dimitte, obsecro, ne intres cum ea in judicium (Ps. 142, 2). Superexultet misericordia judicio (Jac. 2, 13) (ML: superexaltet misericordia judicium), quoniam eloquia tua vera sunt et promisisti misericordiam misericordibus (cf. Mt. 5, 7), quod ut essent, tu dedisti eis, qui misereberis cui misertus eris, et misericordiam praestabis, cui misericors fueris (Exod. 33, 19; Rom. 9, 15). (n. 36): Et, credo, jam feceris quod te rogo, sed voluntaria oris mei approba Domine (Ps. 118, 108). Namque illa imminente die resolutionis suae non cogitavit suum corpus sumptuose contegi, aut condi aromatis (ML: condiri aromatibus), aut monumentum electum concupivit, aut curavit sepulcrum patrium; non ista mandavit nobis, sed tantummodo memoriam sui ad altare tuum fieri desideravit, cui nullius diei praetermissione servierat; unde sciret dispensari victimam sanctam, qua deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis (Col. 2, 14), qua triumphatus est hostis computans delicta nostra et quaerens, quod objiciat, et nihil inveniens in illo, in quo vincimus. Quis ei refundet innocentem sanguinem? Quis ei restituet pretium, quo nos emit, ut nos auferat ei? Ad cujus pretii nostri sacramentum ligavit ancilla tua animam suam vinculo fidei. Nemo a protectione tua disrumpat eam. Non se interponat nec vi nec insidiis leo et draco; neque enim respondebit illa nihil se debere, ne convincatur et obtineatur ab accusatore callido, sed respondebit dimissa debita sua ab eo, cui nemo reddet quod pro nobis non debens reddidit."[81]

Textum integrum exhibuimus, licet prolixus sit; ecce nunc ideas principales, quas invenimus:

a) Consideratur tota vita a baptismo usque ad mortem complexive, non unicum mortis instans praecisive. *b)* Habetur incertitudo de statu et perfectione justitiae. *c)* Tamen adsunt vera merita, sed haec sunt dona Dei. *d)* Si quid deest, hoc suppletur propter opera misericordiae, quibus Deus ex promissione sua debet misericordiam, et haec compensatio supponitur jam facta (n. 35. 36).[82] *e)* Ipsa autem opera misericordiae dona Dei sunt, sicut et alia merita; ad liberationem a potestate diaboli tum initialem tum completam supponitur opus Christi redemptorium, sine quo nullum, ne veniale quidam, peccatum deleri potest, et sic tota salus venit

[81] ML 32, 778 sq. CSEL 33, 223, 13—225, 13.

[82] Cf. Serm. 172, n. 2. ML 38, 937; Ep. 157, n. 3. ML 33, 675. CSEL 44, 450, 18—451, 5.

a misericordia Dei, a qua homo etiam sanctissimus eam humiliter petit. In tota autem hac serie idearum nihil est, quod reddat merita nostra insufficientia et exigat novam imputationem justitiae Christi.

Sed quid sibi volunt illa verba: „Vae etiam laudabili vitae hominum, si remota misericordia discutias eam?“[83] Nonne significant etiam hominem justum in rigore justitiae damnari posse?

Incisum hoc potest dupliciter intelligi. Primo, si spectatur sola lex justitiae divinae, secundum quam nihil immundum caelum ingredi potest, et sic, nisi misericordia divina dedisset remedium expiationis, etiam peccata venialia arcerent a regno caelorum. Vel forte verba suum pondus servant, etiamsi non intelligantur de aeterna damnatione, sed de poenis purgatorii, quarum gravitatem Augustinus fortiter asserit.[84] Tandem, si remanet aliquid obscurum in hoc textu, cujus modus loquendi affectu plenus et poeticus potius quam stricte theologicus est, non inde deducendum est systema aliquod, posthabitis tot aliis locis, ubi ex professo et perspicue agitur de veritate meriti, cui ex debito redditur corona.[85]

Potest igitur haec conclusio ut certa sustineri: misericordia Dei in judicio eo manifestatur, quod merita, quae coronat, ejus sunt dona; quod non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei (Rom. 9, 16), ut homo perveniat ad finem vitae aeternae.[86] Si autem ulterius adhuc requiritur aliquis novus interventus misericordiae divinae, hic certe non requiritur ad auferenda peccata mortalia,[87] sed ad tollenda venialia

---

[83] Sic videtur legendum cum ML, contra CSEL, quod habet „discutiam“; secundum hanc lectionem esset effatum Christi, quod tamen ipse editor nullibi reperire potest.

[84] Cf. Portalié in DTC I, 2447—2449. Huic interpretationi obstaret textus citatus Mt. 5, 22: „... reus erit gehennae ignis“, sed hic locus videtur Augustino fuisse problema insolutum. Nam ex una parte hoc verbum contumeliosum „fatue“ annumerat peccatis minutis (En. in Ps. 129, n. 5. ML 37, 1699; Serm. 347, n. 3. ML 39, 1526), ex altera tamen parte urget comminationem gehennae (Serm. 55, n. 1. ML 38, 375; De Serm. Domini in monte I, c. 9, n. 22—25. ML 34, 1239—1242). Unde videtur de natura et gravitate hujus peccati dubius haesisse; sufficiebat ei tamen haec incertitudo ad fundandum timorem salutarem.

[85] De eodem textu cf. etiam CT V, 540, 21—31; Vega, De justificatione XV, c. 13. 18. 20 (p. 619. 631—633); Hefner 269, nota 1.

[86] Ep. 186, c. 7, n. 25. ML 33, 825. CSEL 57, 65, 15—66, 3.

[87] Cavendum est, ne quis aequivocationem patiatur in textibus sicut est v. g. „Si justitia sine misericordia prolata fuerit, in quolibet quod damnet inveniet.“ (En. in Ps. 147, n. 12. ML 37, 1922.) Haec enim possunt etiam de peccatis venialibus intelligi (aliud est enim: Deus invenit, quod

(eorumque poenas). Institutio remedii, quo tam facile tolluntur peccata venialia, certe misericordiae divinae adscribenda est.

Posset etiam quaeri: estne haec completa purgatio a peccatis expectanda in ipso momento judicii, vel ponitur ibi mere ad modum recapitulationis pro quotidiana remissione peccatorum venialium, quam homo in hac vita continuo a misericordia Dei accepit? Secundus modus praeferendus videtur, cum melius quoque convenire videatur conscientiae christianae illius temporis, quae nondum (sicut hodie, dolendum in modum, practice a multis fit) purgatorium considerabat quasi normale stadium intermedium inter vitam terrenam et beatitudinem aeternam, sed potius operam impendebat successivae purgationi durante hac vita. Sed etiamsi in ipso momento judicii adhuc remittenda sunt peccata venialia,[88] (quod hodie communiter a theologis admittitur, licet in explicatione non conveniant), semper firma manent haec duo: a d e s t j u s t i t i a e s s e n t i a l i s, e t d e f e c t u s, qualescumque sint

---

damnet — et: Deus invenit, unde hominem damnet; omnia enim peccata Deus vetat et damnat. (cf. In Jo., tr. 41, n. 9. ML 35, 1697; De pecc. mer. II, c. 16, n. 23. ML 44, 165. CSEL 60, 96, 1—9; sed non propter quodlibet peccatum hominem damnat), vel, si de gravibus intelligendum sit, hoc non valet de momento judicii praecise, sed de tota vita complexive. Sic certe Serm. 60, n, 10 (ML 38, 407 sq.), qui textus prima fronte magis mirus apparet: „Proinde illis quos damnaturus est, immo plus illis quos coronaturus est, solas eleemosynas imputabit, tamquam dicens: Difficile et, ut si examinem vos et appendam vos, scruter diligentissime facta vestra, non inveniam unde vos damnem; sed ite in regnum; esurivi enim, et dedistis mihi manducare. Non ergo itis in regnum, quia non peccastis, sed quia vestra peccata eleemosynis redemistis.“ Sed supponitur haec compensatio peccatorum per eleemosynas jam facta in vita terrena, et in his „eleemosynis“ includitur etiam conversio cordis et detestatio peccatorum; sic enim judicem facit alloqui damnandos: „Si enim a b i l l i s o m n i b u s v e s t r i s f a c t i s a v e r s i, e t a d m e c o n v e r s i, illa omnia crimina atque p e c c a t a e l e e m o s y n i s r e d e m i s s e t i s, ipsae eleemosynae liberarent vos, et a reatu tantorum criminum absolverent.“ Cf. De Civ. Dei XXI, c. 27, n. 1—4. ML 41, 746—749. CSEL 40 II, 573—578; Serm. 172, n. 2. ML 38, 937; Ep. 157, n. 3. ML 33, 675. CSEL 44, 450, 18—451, 5. Nihil ergo aliud hic habetur, (forma certe rhetorica), nisi necessitas agendi poenitentiam et dandi satisfactionem pro peccatis, et quidem durante hac vita terrestri. Proinde neque hic textus intelligendus est de non-imputatione peccatorum mortalium in ipso momento judicii, sed consonus est tenori totius doctrinae Augustini.

[88] Huic interpretationi favet textus De corr. et gr., supra, p. 135 cit.: „etiam in illo judicio, in quo justi coronantur, injustique damnantur, a l i o s cum misericordia, a l i o s sine misericordia judicandos“. Suntne isti „alii“ duae classes justorum, quarum alteri poena temporalis remittitur propter opera misericordiae, alteri luenda remanet?

et quomodocumque tollantur, tolluntur vi bonorum operum ipsius hominis justi — non per aliquam fictitiam imputationem justitiae Christi. Inde autem patet, imperfectionem operum nostrorum non esse talem, qualem statuere vult Seripandus, scil. intrinsecam foeditatem, impuritatem ex concupiscentia provenientem. Haec enim si adesset, necessario adhaereret etiam illis operibus misericordiae, quibus aliae imperfectiones supplendae sunt; involverentur ergo novae imperfectiones, et induceretur processus in infinitum. Sed indubium est, secundum mentem Augustini per ipsa opera suppleri imperfectiones justitiae nostrae: „Qui haec (sc. opera misericordiae) itaque fecerit, Disponet sermones suos in judicio. Facta ipsa sermones sunt quibus in judicio defendetur; quod ei non erit sine misericordia, quia et ipse fecit misericordiam. Quoniam in aeternum non commovebitur: qui ad dexteram segregatus audiet: Venite, benedicti Patris mei“ ... (Mt. 25, 34).[89] „Faciens ergo hujusmodi misericordias ... expectabis securus judicium, non tam securus de justitia tua, quam securus de misericordia Dei, quia et tu misericordiam praerogasti.“[90] „Quid times de peccatis, quia non potes omnia devitare? Spera in Dominum, quoniam confitebor illi. Quaedam sanat praesens allocutio, reliqua purgat fidelis confessio.“[91] „Justi in illo judicio invenientur omnes qui non fallaciter dicunt: Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Per hanc enim dimissionem justi invenientur; eo quod ea quae hic habebant peccata, eleemosynis deleverunt. Unde Dominus dicit: Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis“ (Lc. 11, 41).[92]

„Ita donata nobis regeneratione, adjuta conflictione, fusa precatione, fit cor nostrum immaculatum, ut non confundamur.“[93] Unde cuilibet justo dici potest: „Dic jam Domino tuo, dic securus, dic certus, dic fiducia plenissimus: Ego eram antea in malitia, usus sum indebita misericordia tua; corona ex debito munera tua!“[94]

7. Ultimo loco, si haec omnia non sufficerent, si quaedam nimis fortiter dicta viderentur, quando agitur de solis peccatis venialibus,

---

[89] En. in Ps. 111, n. 5. ML 37, 1469 sq.
[90] En. in Ps. 147, n. 13. l. c., 1922.
[91] En. in Ps. 42, n. 7. ML 36, 481.
[92] De perf. just., c. 11, n. 24. ML 44, 304. CSEL 42, 24, 20—25, 2.
[93] En. in Ps. 118, Serm. 19, n. 7. ML 37, 1556.
[94] Serm. 299, n. 6. ML 38, 1372.

ratio etiam habenda est tenerae conscientiae S. Doctoris, quae omnibus fatentibus ubique apparet, maxime autem in Confessionibus.[95] Profunda conscientia deordinationis, quae inest etiam in peccato veniali, immo in motibus concupiscentiae etiam involuntariis, interdum verba ei suggessit, quae nobis hodie, abstractius rem considerantibus, exaggerata videntur.[96]

Sic videtur Augustinus ex seipso satis explicari posse, ita ut salva maneat tum vera justitia verumque meritum, tum imperfectio praesentis justitiae.

Liceat concludere hoc caput illis verbis, quibus Augustinus explicat Ps. 102, 4: „Qui coronat te in miseratione et misericordia" (Vulg. in misericordia et miserationibus): „. . . forte quasi arrogans esse coeperas, cum audires, coronat te. Ergo magnus sum, ergo luctatus sum. Cujus viribus? Tuis, sed ab illo subministratis. Nam luctaris, manifestum est, et ideo coronaberis quia vincis; sed vide quis prior vicerit, vide quis te faciat etiam secundo victorem. Superest mihi corona justitiae, quam mihi reddet Dominus in illa die justus judex (2. Tim. 4, 8). Quare? Quia agonem certavi. Quare? Quia cursum consummavi. Quare? Quia fidem servavi. Unde certasti? unde fidem servasti? Non ego autem, sed gratia Dei mecum (1. Cor. 15, 10). Ergo et quod coronaris, illius misericordia coronaris."[97]

Caput IV.

De munere justitiae Christi in nostra justificatione.

Ultima examinanda remanet quaestio, quomodo justitia Christi concurrat ad nostram justificationem. Etenim, doctrina de duplici justitia duabus his propositionibus resumi potest: 1. Justitia nostra est adeo imperfecta, ut non sufficiat ad consecutionem vitae aeternae. 2. Haec imperfectio supplenda est per imputationem justitiae Christi. — Priorem propositionem refutavimus tribus capitibus praecedentibus, inquirendo in S. Augustini doctrinam de concupiscentia, de peccato veniali et de merito; nunc examinari

---

[95] Vide praesertim Conf. X, c. 28, n. 39—c. 39, n. 64. ML 32, 795—806. CSEL 33, 255, 19—275, 18, ubi de multis se accusat, quae vix venialia sunt peccata. Cf. textus citatos apud Merlin 84—88.

[96] Vide v. g. En. in Ps. 142, n. 6. ML 37, 1848 sq.; Serm. 170, n. 5—7. ML 38, 929 sq., sed cf. ib., n. 8—10.

[97] En. in Ps. 102, n. 7. ML 37, 1321 sq. Similiter: En. in Ps. 118, Serm. 7, n. 2 sq. ML 37, 1517; De gr. et lib. arb., c. 9, n. 21. ML 44, 893, etc.

oportet illos textus, qui invocantur vel invocari possint in favorem alicujus imputationis justitiae Christi. Duplex est series textuum hujus generis, una, in qua opponuntur „justitia Dei“ et „justitia hominis“, altera, in qua ipse Christus dicitur nostra justitia.

Jam in I. Sectione[1] expositum est, quid Augustinus intelligat per justitiam Dei, dum explicat textus S. Pauli (Rom. 10, 3; 1. Cor. 1, 30; 2. Cor. 5, 21) et ostensum est: „Justitia Dei“ in nullo loco debet, immo, si consideratur tota doctrina, neque potest intelligi de justitia mere imputata. Quaestio, quae nunc examinanda remanet, haec est: Estne haec justitia Dei intelligenda de aliqua justitia imputata praeter inhaerentem? Hoc sensu intelligunt fautores duplicis justitiae.

Sic Seripandus citat locum sequentem: „Et in tua justitia erue me et exime me; nam si attendas ad meam justitiam, damnas me. In tua justitia erue me. Est enim justitia Dei, quae et nostra fit, cum donatur nobis.“[2]

Videtur testimonium omnino evidenter favere Seripando, sed inspiciendus est contextus. Immediate post verba citata prosequitur:[3] *a)* „Ideo autem Dei justitia dicitur, ne homo se putet a seipso habere justitiam. Sic enim dicit apostolus Paulus: Credenti in eum, qui justificat impium *b)* (quid est, qui justificat impium? qui ex impio facit justum) deputatur fides ejus ad justitiam (Rom. 4, 5). *c)* Judaei vero quia suis viribus se putabant implere posse justitiam, offenderunt in lapidem offensionis (Rom. 9, 32) et petram scandali, et gratiam Christi non agnoverunt. Acceperunt enim legem qua fierent rei, non qua liberarentur a reatu. Denique quid de illis Apostolus dicit? Testimonium enim perhibeo illis quod zelum Dei habent, sed non secundum scientiam. Quid est quod dixit, Zelum Dei habent Judaei, sed non secundum scientiam? Audi quid sit, non secundum scientiam: Ignorantes enim Dei justitiam et suam volentes constituere, justitiae Dei non sunt subjecti (Rom. 10, 2. 3). Si ergo ideo non secundum scientiam zelum Dei habent, quia ignorant Dei justitiam et volunt suam constituere, quasi ex seipsis justi fiant; ideo gratiam Dei non cognoverunt, quia gratis salvari noluerunt. *d)* Quis est qui salvatur gratis? In quo non invenit Salvator

---

[1] Supra, p. 42—48.

[2] En. 2 in Ps. 30, Sérm. 1, n. 6. ML 36, 233. Citatur CT XII, 620, 9 sq., ubi editor annotat: „Haec in Enarr. in Ps. 30, 1 (Migne 36, 226) non occurrunt.“ Occurrunt in Enarr. 2. l. c.

[3] L. c., 233 sq. Ideae principales notantur litteris minusculis, ut in sequenti analysi lector facilius ad singula remitti possit.

quod coronet, sed quod damnet; non invenit merita bonorum, sed invenit merita suppliciorum. Si agat tamquam veraciter ex regula legis proposita, damnandus est peccator. Hac regula si ageret, quem liberaret? Omnes peccatores invenit: solus sine peccato venit, qui nos peccatores invenit. Hoc ait Apostolus: Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei (Rom. 3, 23). Quid est, egent gloria Dei? Ut ipse liberet, non tu; quia tu te liberare non potes, indiges liberatore. *e)* Quid est quod te jactas? Quid est quod de lege et justitia praesumis? Non vides quid intus confligat in te, de te, adversus te? Non audis pugnantem, et confitentem, et adjutorium in pugna desiderantem? Non audis athletam Domini ab agonotheta petentem adjutorium pugnae suae? Non enim sic te expectat Deus certantem, quomodo te expectat editor, si forte pugnes in amphitheatro; ille tibi praemium dare potest si viceris, adjuvare te periclitantem non potest. Non sic expectat Deus. Vide ergo, attende eum qui dicit: Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captivum me ducentem in lege peccati, quae est in membris meis. Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum (Rom. 7, 22—25). *f)* Quare gratia? Quia gratis datur. Quia merita tua non praecesserunt, sed beneficia Dei te praevenerunt. Illi ergo gloria qui nos liberat. Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei. In te ergo Domine, speravi, non in me; non confundar in aeternum, quia in eo spero qui non confundit. *g)* In tua justitia erue me, et exime me: quia non invenisti in me justitiam meam, erue me in tua; hoc est, illud me eruat quod me justificat, quae ex impio pium facit, quod ex iniquo justum, quod ex caeco videntem, quod ex cadente surgentem, quod ex flente gaudentem. Hoc me liberat, non ego. In justitia tua erue me, et exime me."

Quid est in hoc textu „justitia tua" et „justitia mea", justitia Dei et justitia hominis? En nexum idearum: homo superbus suis viribus vult implere legem *c)*, vult a seipso justus fieri *a)*, *c)*; sed habet in se concupiscentiam, quam non potest vincere nisi per gratiam Dei *e)*, quae superbis non datur. Quid ergo est justitia hominis? Est observatio legis per vires proprias, vel potius irritus conatus, vana praesumptio. In hoc statu Christus Salvator invenit homines, sine meritis bonis, cum multis meritis malis, et gratis eos justificat *d)*, *f)*. Quid est justificat? Ex impio pium facit, ex iniquo justum, ex cadente surgentem *b)*, *g)*; dat virtutem ad vincendam concupiscentiam *c)*, et haec est justitia Dei *a)*, *b)*, *g)*. Aliis verbis:

justitia Dei hoc loco nihil aliud est ac justitia interna ex gratia Dei procedens; justitia hominis non est justitia inhaerens ex gratia, cui opponeretur justitia Dei superaddenda per imputationem, sed est status hominis sine gratia, qui irrito conatu tendit ad justitiam vel vana praesumptione putat se eam attigisse, et qui sic sine dubio damnabilis est. Minime ergo dicitur, justum per justitiam inhaerentem non liberari a damnatione; et sic tota argumentatio fundata in hoc textu corruit.

Hunc textum ideo tam diffuse tractavimus, quia idem omnino dici potest de aliis textibus, in quibus opponitur justitia Dei et justitia hominis.[4]

2. Sed est alia series textuum, in quibus magis insistit Seripandus. Ipsum audiamus, quomodo in congregatione diei 26. Nov. respondeat ad aliquam objectionem: „Pauli locus ille: Nunc autem sine lege justitia Dei manifestata, testificata a lege et prophetis, etc. (Rom. 3, 21), non loquitur de Christi justitia, sed de justitia nobis inhaerente, quemadmodum Augustinus intellexit in lib. de spiritu et littera.“[5] Ad haec Seripandus: „Augustini verba integra consideremus. Ejus libri cap. 9.[6] declarat, quomodo lex testimonium perhibet justitiae Dei, et ait: Quia jubet et minatur, neminem justificans, hoc satis indicat, dono Dei justificari hominem per adjutorium Spiritus. Declarat, quomodo prophetae testimonium perhibent justitiae Dei, et ait: quia quod prophetae praedixerunt, Christi adimplevit adventus. Cap. 11.[7] exponit, quodnam sit donum Dei, quo homo justificatur, et ait: Haec est justitia Dei, quae in testamento veteri velata, in novo revelatur, quae ideo justitia Dei dicitur, quod impertiendo eam justos facit, sicut Domini est salus, quia salvos facit. Et subjungit aperte: Et haec est fides, ex qua et in qua

---

[4] Sic Ep. 157, c. 3, n. 16. ML 33, 682. CSEL 44, 464, 21—465, 20, „justitia tua“ est adjutorium ad implendam legem, immo ipsa caritas; item En. in Ps. 70, Serm. 1, n. 4. ML 36, 877 sq. „justitia tua“ est justitia a Deo data, per gratiam data, qua homo justus est, et opponitur justitiae illorum „qui per litteram gloriabantur et gratiam respuebant“, id est, suis viribus legem implere volebant. Idem textus (Ps. 70, 2) explicatur Serm. 160 (ML 38, 872—877), et in eodem sensu; vide praesertim n. 1 et n. 7. Cf. CT V, 533, 22—36.

In En. in Ps. 41, n. 12 (ML 36, 472), opponuntur „justitia Dei“ et „justitia mea“, sed nihil inde ad nostram quaestionem. Sensus est: scio Deum esse justum retributorem, sed nescio, an ego usque ad finem perseverem in justitia

[5] CT V, 674, 13—15.

[6] N. 15. ML 44, 208 sq. CSEL 60, 166—168.

[7] N. 18. l. c., 211. CSEL 60, 170 sq.

revelatur. Modo videamus, quae est illa justitia Dei, quae in veteri testamento velata erat. Non alia certe quam Christus ipse, ut Augustinus ipse alibi exposuit.[8] Videamus, quaenam sit justitia Dei, quae ex fide revelatur. Non certe est habitus aliquis inhaerens, de quo nullus adhuc exstat articulus fidei, sed justitia Christi, de qua tot exstant articuli fidei: Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus; descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis, etc. Ac propterea non solum dicitur justitia Dei, sed et justitia fidei."[9]

Quid de hac argumentatione? Primo dici potest: si quid valeret, de medio tolleret omnem justitiam inhaerentem, quod certe esset non minus contra mentem Augustini quam secundum mentem Lutheri. Sed jam accuratius inspiciamus ipsos textus.

Vexatum illum locum De spir. et litt., c. 9, n. 15[10] Seripandus promisit se integrum consideraturum esse, sed non fecit. Videamus igitur, quid supplendum sit. In ipso inciso citato legitur: „dono Dei justificari hominem per adjutorium Spiritus", quod certe vehementer suadet justitiam inhaerentem. Sed in fine hujus numeri omnino explicite habetur: „Non itaque justificati per legem, non justificati per propriam voluntatem, sed justificati gratis per gratiam ipsius; non quod sine voluntate nostra fiat, sed voluntas nostra ostenditur infirma per legem, ut sanet gratia voluntatem, et sanata voluntas impleat legem, non constituta sub lege, nec indigens lege."[11] Si Seripandus haec quoque verba considerasset, ubi certe „justitia Dei" est justitia interna, potuissetne suam conclusionem sustinere?

Ad textum sequentem quod attinet (c. 11, n. 18), pariter sufficit inspicere contextum, ut appareat debilitas argumenti. Ibi enim in n. 17 sermo est de bona vita, de dilectione justitiae, deinde in n. 18 de sapientia, pietate, Dei cultu, de operibus justitiae; postea citat Rom. 1, 16. 17 et concludit: „Haec est justitia Dei quae in Testamento Veteri velata, in Novo revelatur; quae ideo justitia Dei dicitur, quod impertiendo eam justos facit, sicut Domini est salus (Ps. 3, 9), qua salvos facit. Et haec est fides ex qua et in quam

---

[8] In margine: Epist. 89 et 94. (Nunc Ep. 157 et 178. ML 33, 674—693. 772 sq. CSEL 44, 449—488. 689—691.)

[9] CT V, 674, 15—29. In eundem sensum citat etiam De Civ. Dei XXI, c. 24, n. 5. ML 41, 739 sq. CSEL 40 II, 562, 15—22 (CT V, 335, 27 sq.; XII, 620, 1—4).

[10] ML 44, 208 sq. CSEL 60, 166, 23—168, 9. Quomodo Luther ibi invenerit confirmationem doctrinae suae, vide Denifle, p. VIII; Hamel I, 9—11; 192.

[11] ML 44, 208 sq. CSEL 60, 168, 4—9.

revelatur;[12] ex fide scilicet annuntiantium, in fidem oboedientium: qua fide Christi, id est quam nobis contulit Christus, credimus ex Deo nobis esse, pleniusque futurum esse quod juste vivimus; unde illi ea pietate, qua solus colendus est, gratias agimus."[13] En alia vice idem quod prius: justitia Dei = justitia interna. Et simul, ex interpretatione verborum „ex fide in fidem" apparet, quam longe a mente Augustini sit mira illa exegesis Seripandi, ubi „revelatur ex fide in fidem" videtur aequiparari cum: „continetur explicite in articulis symboli"!

Videtur ergo sufficienter ostensum, in utroque loco citato nullo modo Christum formaliter dici justitiam Dei. Sed quid de epist. 157 et 178 (ad quos locos in margine remittitur)? In Ep. 178 ne vestigium quidem est, Christum dici justitiam Dei; sed sermo est de adjutorio gratiae ad vincenda peccata,[14] et de „gratia Dei quae per Jesum Christum Dominum nostrum humano generi indulta est",[15] quae omnia nihil continent pro duplici justitia, econtra optime se habent supposita justitia una, eaque interna. — Pariter in prolixa illa Ep. 157 minime invenitur hoc assertum: „Justitia Dei Christus est", citatur quidem Rom. 10, 4: „Finis enim legis Christus, ad justitiam omni credenti"[16] et alibi habetur: „sicut ille homo (Adam) delicto suo vitiavit posteritatem suam, sic ille Deus homo justitia sua salvavit haereditatem suam"[17] — quae certe non sufficiunt ad probandum intentum. Econtra passim sermo est de gratia Spiritus, de adjutorio gratiae ad vincenda peccata et operanda bona opera, de caritate, etc., ergo de justitia interna.

Ex hac analysi satis patet debilitas argumentationis Seripandi in hoc loco; et praeter textus citatos nullum fere argumentum affert. Unus tantum superest locus: „Delicta nostra sua delicta fecit, ut justitiam suam nostram justitiam faceret."[18] Quo textu citato, Seripandus quasi triumphanter concludit: „Non inquit, a sua fieri nostrum, sed: suam fecit nostram. Quod nisi imputatione non potest intellegi."[19] Sed haec conclusio latius patet quam praemissae. Supra enim ostendimus, quomodo textus talis tenoris optime ex-

---

[12] Hucusque citat Seripandus.
[13] ML 44, 211. CSEL 60, 170, 1—171, 11.
[14] N. 1. n. 3. ML 33, 773. CSEL 44, 689, 24—690, 3; 690, 26—691, 5.
[15] N. 2. ML 33, 773. CSEL 44, 690, 6 sq.
[16] C. 2, n. 6. ML 33, 676. CSEL 44, 452, 21 sq.
[17] C. 3, n. 21. ML 33, 685. CSEL 44, 470, 22—24.
[18] En. 2 in Ps. 21, n. 3. ML 36, 172.
[19] CT XII, 671, 30—33. Ibi interpunctio est male posita, ita ut propositio

plicari possint per metaphoram causae pro effectu, immo ab ipso Augustino sic explicentur.[20] Amplius, habemus locum immediate parallelum, in En. in Ps. 37: „Quomodo ergo peccata nostra sua esse voluit propter corpus suum, sic et nos passiones ejus nostras esse velimus propter caput nostrum.“[21] Quomodo passiones ejus erunt passiones nostrae? Per imputationem? Nequaquam; nam totus contextus est exhortatio ad patientiam, ergo passiones Christi sunt passiones nostrae, si patimur propter Christum; a pari justitia Christi est justitia nostra, si justi sumus per Christum: „cum in seipsa sit justitia (scil. justitia subsistens), etiam nobis fit justitia, cum ei cohaerendo juste vivimus; et tanto magis minusve justi sumus, quanto magis illi minusve cohaeremus ... tanto similiores Deo, quanto esse poterimus ejus participatione justiores“.[22]

Haec sufficiant pro solutione argumentorum Seripandi; unde apparet, nihil addendum esse iis, quae supra[23] de sensu formularum „justitia Dei“, „Christus nostra justitia“, stabilita sunt. Nulla apud Augustinum probari potest communicatio justitiae Christi praeter justitiam inhaerentem, quae, utpote fructus operis Christi redemptorii, merito vocatur justitia Christi.

„Non inquit ... fecit nostram“ trahatur ad textum Augustini, cum sit explicatio Seripandi.

[20] Supra, p. 47 sq.

[21] En. in Ps. 37, n. 16. ML 36, 406.

[22] Ep. 120, n. 19. ML 33, 461. CSEL 34 II, 721, 2—18.

[23] P. 42—48.

CONCLUSIO

Comparationem instituimus inter doctrinam de duplici justitia a Seripando propositam, et doctrinam S. Augustini. Propositiones Seripandi principales, ut vidimus, hac fuerunt:

1. Motus concupiscentiae sunt veri nominis peccata, licet sensu quodam diminuto.

2. Justitia inhaerens tam imperfecta est, ut non plene satisfaciat justitiae Dei ad meritum et acquisitionem vitae aeternae.

3. Ideo ei tamquam supplementum addenda est imputatio justitiae Christi, et sic est duplex justitia.

Porro vidimus, nullam ex his propositionibus genuinam reddere mentem Doctoris Gratiae.

Vera Augustini doctrina sic resumi potest:

1. C o n c u p i s c e n t i a in non renatis est veri nominis peccatum, non per se solum, sed conjuncta cum reatu; iste reatus non est sola obligatio subeundi poenam, sed participatio injustitiae Adae, et tollitur non per meram non-imputationem, sed per realem, intrinsecam hominis mutationem, qua peccatum originale vere deletur. Ideo concupiscentia remanens sine reatu jam non est peccatum proprie dictum. Constans est Augustini doctrina, motus concupiscentiae sine consensu non esse veri nominis peccata. Vocatur autem peccatum, qui peccati poena est, quia ad peccandum allicit, „filia et mater peccati“, tandem ut objectiva et materialis deordinatio; hoc sensu est etiam contra praeceptum: Non concupisces, quo ostenditur homini, ad quid tendere debeat et quid ei per gratiam Dei in altera vita donetur.

2. J u s t i t i a i n h a e r e n s i m p e r f e c t a est, non ac si in baptismo non omnia peccata delerentur, sed quia, manente concupiscentia, homo non potest vitare peccata subreptionis et inadvertentiae. Omnis igitur justus simul peccator est, sed haec peccata cotidiana, minuta, levia eum non avertunt a via recta, non separant a Christo, non tollunt justitiam et caritatem, facile deleri possunt, ideoque non impediunt assecutionem vitae aeternae. Justi

suis operibus vere merentur vitam aeternam, ita ut eis non donetur, sed ex debito reddatur. Quia tamen ipsa opera meritoria Dei dona sunt, vita aeterna recte gratia vocatur. Ratio meriti derivatur ex promissione divina et ex caritate, de qua opera procedunt. Quando justitia interna ut insufficiens ad assecutionem vitae aeternae describi videtur, hoc intelligendum est vel de oppositione inter ea, quae homo habet ex se et quae ex Deo, vel de relativa imperfectione coram Deo, vel de incertitudine propriae justitiae et perseverantiae finalis, et si qua est alia imperfectio, tollitur per opera misericordiae, quibus a Deo meremur judicium misericors.

3. Unde sequitur, justitiam inhaerentem cum suis operibus plene sufficere, imputationem justitiae Christi superfluam esse; immo omnes textus, qui pro ea adducuntur, aliter explicari possunt et debent.

Idea fundamentalis systematis duplicis justitiae, imperfectio scilicet justitiae inhaerentis, certe augustiniana est, sed exaggeratur, et conclusio, quae inde deducitur, aliena est a doctrina Augustini.

Salva igitur reverentia eruditissimo Seripando debita, dicendum est, illum nimis adhaerere aliquibus ideis vel potius formulis, quibus ipse Augustinus suam doctrinam non adaequate et perfecte expressit, et quae proinde ex contextu vel ex toto tenore doctrinae intelligendae sunt. Ideo systema ex talibus elementis confectum nequit agnosci ut systema augustinianum. Optimum quidem consectarium oppositionis Seripandi fuit, ut propterea in textu decreti magis insisteretur in dependentia nostrae justitiae a justitia Christi et sic vitaretur etiam apparentia, ac si doctrina Concilii nimis tribueret propriae justitiae hominis.[1] Merito tamen, et in conformitate non solum cum Sacra Scriptura et tota doctrina revelata, sed etiam cum mente Augustini, Patres Tridentini rejecerunt theoriam duplicis justitiae et posuerunt in decreto definitivo: „Unica formalis causa (justificationis) est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, qua videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostrae et non modo reputamur, sed vere justi nominamur et sumus, justitiam in nobis recipientes unusquisque suam, secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem.“[2]

---

[1] Cf. Hefner 244—247.

[2] CT V, 793, 35—39.

APPENDIX

Excerpta quaedam ex tractatu Seripandi inedito (de justitia et libertate christiana) Bibl. Nat. Neapol VII D 13, f. 1—72.[1]

(A. De christiana libertate)

Prima ergo christiani hominis libertas a lege, hec est quod f. 12 r.
facit quidem legem et obtemperat legis mandatis, non duce et adjuvante lege sed duce et adjuvante Christo . . .

Secunda christiani hominis libertas[2] a lege est: quia peccatum f. 12 v.
quod viget in membris concupiscentia scilicet non stimulat eum per legem ad fructificandum morti hoc est ad peccandum peccata morte digna. Cujus ratio est, quia christianus homo servit et obtemperat divinis mandatis motus a Spiritu Christi cui est conjunctus eum renovante et non a littera legis que hominem in sua vetustate relinquit, nihil immutans carnalem hominis affectum . . .

Tertia est christiani hominis libertas. Pro qua sciendum quod f. 13 r.
in hac vita homo christianus duram quandam et asperam sentit militiam. Nam spiritus ejus[3] amat legem que spiritalis est et detegit occultum illud concupiscentie peccatum. Nisi enim lex diceret. Non Concupisces ignorat homo concupiscentiam esse peccatum. Caro autem in qua peccatum hoc habitat repugnat spiritui concupis-

---

[1] Tractatum hunc, ad suum usum exscriptum ex codice Bibl. Nat. Neapol., utendum mihi benigne concessit editor Tractatuum conciliarium (CT XIII), Dr. H. Jedin, cui hoc loco pro consiliis adjumentisque huic labori benevolentissime praestitis ex corde gratias ago. Opus istud, quod Seripandus conscripsit anno 1553 (cf. Merkle in CT II, LXVI, 13—LXVIII, 10; LXXIX, 12; XCIV, 13—19), maximam partem (a f. 19 v usque ad finem) compositum est ad modum disputationis inter Oppugnatorem (= Lutherum) et Propugnatorem (= Seripandum), maximeque insistit in caritatis et bonorum operum necessitate. Apparet ex hoc scripto plena auctoris submissio erga doctrinam Tridenti definitam: nulla mentio imputationis justitiae Christi, nihil de imperfectione operum justorum; econtra extollit dignitatem operum, quae ex motione Spiritus Sancti procedunt.

[2] Ad marginem: Cum enim essemus in caritate [carne?] etc. [Rom. 7, 5].

[3] Ad marg.: Scimus quia lex etc. [Rom. 7, 14].

cendo. Hic autem concupiscentie actus adeo gravis homini christiano videtur quod Paulus Ro. VII. describit ut sibi videatur damnatione dignus si in legem respiciat. Est igitur tertia libertas quod christianus homo in hac vita et dura militia collocatus quamvis contra legem carne concupiscat hoc est motus concupiscentie sentiat, si motibus illis non obtemperat sed motibus spiritus liber sit a damnatione legis propter Christum cum quo conjunctus est quique hos motus nunquam sensit. Propterea Paulus cum hanc pugnam descripsisset Rom. VII. conclusisset se infelicem esse[4] et optare per mortem ab ea pugna liberari gratias agit Deo quod per Jesu Christi munus mente serviebat legi Dei non consentiendo motibus concupiscentie carne autem legi peccati illos sentiendo, cap. dein-(de) VIII. intulit. Nihil ergo nunc damnationis etc.[5] Simile est hoc ac si duo pugnarent quorum alter in primo congressu succumberet, non tamen propterea servus efficeretur si in reliquis resisteret. Primus congressus est motus concupiscentie qui a carne excitatur propter quem qui christianus est non damnatur, si secundum spiritum ambulet, non secundum carnem dicere nunquam potest Lex spiritus vite in Christo Jesu etc.[6]

f. 13. v. Quarta est christiani hominis libertas. Pro qua sciendum quod lex requirit ab homine justitiam cum sit justitie regula. Homo vero propter carnis infirmitatem[7] non [potest] prestare eam justitiam quam poscit lex nec potest per legem justificari. At christianus homo fide cum Christo conjunctus, Christi ipsius gratia justificatur. Primo quidem, quia Christi merito veniam peccatorum consequitur. Nam peccatum carnis nostre peccatricis condemnatum est per hostiam purissime carnis Christi et innocentissime. Deinde quia si Christo vere inhereat ambulet secundum Spiritum et non secundum carnem, qua ratione ad justificationem legis pervenit. Est igitur quarta libertas quod christianus homo liber est ab inquirenda justitia per legem quam obtinet per meritum Christi et spiritum ejus qui per charitatem in corda diffunditur. Hoc declaravit Paulus cum dixit. Nam quod impossibile erat legi etc. Simile est ac si captivo ad libertatem unica tantum pateret via per quam sua sibi obstante egritudine egredi non posset: cui postea alia aperiretur via per quam sanitatem ab egritudine libertatem consequeretur ab

---

[4] Ad marg.: Infelix ego homo etc. [Rom. 7, 24].
[5] Ad marg.: Nihil ergo nunc damn. etc. [Rom. 8, 1].
[6] Rom. 8, 2.
[7] Ad marg.: Nam quod impossibile erat legi etc. [Rom. 8, 3].

captivitate. Prima via Lex est juxta illud[8] custodite et facite ea que precepit dominus Deus vobis, non declinabitis neque ad dextram neque ad sinistram, sed per viam quam precepit dominus Deus vester ambulabitis. Per eam nemo potuit ingredi, omnes enim declinaverunt.[9] Et unusquisque in viam suam declinavit.[10] Altera via Christus est quam Deus promisit dicens Dabo eis cor unum et viam unam,[11] ut timeant me universis diebus et bene sit eis et filiis eorum post eos.[12] De ea quoque Christus ipse Ego sum via etc.[13]

Quinta est christiani hominis libertas . . . ad obedientiam man- f. 14 r.
dati non movetur metu pene sed amore quem in eo gignit spiritus Christi . . .[14]

(B. De operum bonorum dignitate).

Sentit itaque Paulus eos qui fide in Christum Jesum carent f. 31. r
justos non esse et multis gravibusque criminibus quorum magnam partem enumerat,[15] eorum vitam esse infectam: non autem ut omnes illorum actiones tamquam enormia quedam peccata, quemadmodum ipse asseris damnanda sint et detestanda. Et hec quidem Paulus de hominibus, ut dixi religione et fide christiana nondum initiatis. Hos vero ex aqua et Spiritu Sancto denuo generatos, in quorum animis divini luminis radii insigniti sunt atque impressi tantum abest, ut his maculis aspergat eorumque opera rejiciat ac tamquam flagitia condemnet omnia, ut justos potius eos et sanctos appellet[16] ac ex tenebris in lucem commutatos esse asserat.[17] Ad hoc autem non nuda fide pervenerunt, in quo summa vos contentione pugnatis sed fide qua alteram justitie partem, hoc est veniam peccatorum meritis Domini Nostri Jesu Christi consequuti sunt et charitate qua alteram adipiscerentur, ut recte, pure ac ex toto corde divinis mandatis satisfacerent, id quod justitiam constituit integram quam etiam confirmat atque adauget . . . Nam

---

[8] Ad. marg.: Deu 5, [32. 33].
[9] Ad marg.: Ps. 13, [3].
[10] Ad marg.: Isa. 53, [6].
[11] Ad marg.: Jere. 32, [39].
[12] Ad marg.: Jere. 31. [Immo l. c., 32, 39].
[13] Ad marg.: Joa. 14, [6].
[14] In hoc inciso quaedam prima fronte referre videntur antiquas Seripandi ideas de malitia concupiscentiae; attamen non affirmat eam in renatis esse aliquo vero sensu peccatum, nec loquitur de non-imputatione, sed multo magis insistit in victoria de concupiscentia, quam dat gratia et caritas Spiritus Sancti.
[15] Cf. Rom. 1, 24—32; 3, 10—18.
[16] Ad marg.: 1. Cor. 6, [1—11].
[17] Ad marg.: Eph. 5, [8].

justificati ex fide, quousque, ut Paulus inquit glorificentur[18] semper in justitia proficiunt dum dilatato corde ambulant immo currunt viam mandatorum Dei[19] non cogente lege sed Spiritu ducente, quorum opera ejus rei gratia fructus spiritus appellantur.[20]

f. 51 v. . . . semper et ubique dicimus opera illa quibus aliquam justitie nanciscende nos partem tribuimus bona esse non nostri quidem ratione sed Spiritus Sancti qui habitat in nobis[21] et est nostrorum operum perfecta et principalis causa, quorum nos secunde tantum cause ac quasi voluntaria quedam sumus instrumenta. Proinde tantum abest, ut de fidei virtute et dignitate quicquam detrahant, ut eam potius augeant et decorent: vivamque esse et cum charitate copulatam ostendant. Libera quin etiam maxime sunt et neque coacta neque vi ulla extorta, cum a Spiritu adoptionis proficiscantur a quo uno vera est et christiana libertas[22] qui ex servis liberos facit et heredes regni quod repromisit Deus diligentibus se.[23] Quam vana vero est illa trepidatio ne opera hec cum gratia Dei pugnent, que non aliunde quam a Dei gratia oriuntur. ne ejus officium usurpent, quorum sine gratia nulla profecto esset ad justi-

f. 51 r. tiam aut salutem vis. ne illius gloriam occupent ex quibus ad divine gratie predicationem et gloriam corda et ora revocantur.[24]

---

[18] Ad marg.: Ro. 8, [30].

[19] Ad marg.: Ps. 115. [Immo Ps. 118, 32.]

[20] Ad marg.: Gal. 5, [22. 23].

[21] Ad marg.: 1. Cor. 3, [16].

[22] Ad marg.: 2. Cor. 3, [17].

[23] Ad marg.: Jo. I. [Immo Jac. 2, 5.]

[24] Tales laudes bonorum operum, nulla restrictione temperatae, certe notabiliter differunt ab illis descriptionibus, quas exhibuit v. g. CT V, 374, 11 sq.; XII, 632, 15—17; 635, 35—42; 844, 13—18; 847, 44—50; cf. supra p. 18—21; unde subindicatur aliqua mutatio idearum.

Index nominum et rerum

Adam 50. 51. 56. 59. 70. 73. 83. 87. 88. 89. 99. 100. 102. 138. 148. Cf. justitia originalis, protoparentes.
Adam K. 84. 87. 91. 111. 112. 116. 119. 120.
adoptio filiorum, cf. filiatio divina
Aegidius Viterbiensis 32.
Aleander H. 3.
Altaner cf. Rauschen-Altaner.
Amann E. 1. 2. 109.
angeli in genere 65—70. 73.
— boni 67. 130.
— mali 52. 53. 67. 68. 69. 114. 139.
Augustinus 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 20. 22. 28. 29. 33. 37—154 passim.
Aurelius a Rocca Contrata cf. Philipputius. A.
Bajus 55. 101.
baptismus 15. 16. 17. 18. 19. 29. 32. 52. 53. 55. 56. 59. 60. 61. 76. 77. 78. 85. 86. 90. 92. 93. 97. 98. 104. 105. 107. 127. 131. 138. 159.
Bardenhewer O. 41. 46.
Bartmann B. 33.
Bernardus 21. 22. 33.
Billot L. 89.
De Blic J. 56. 72. 74. 75. 76. 77. 78. 83. 87. 89. 91.
Bonaventura 23.
Boyer C. 63. 64. 83. 88. 100.
Brecher 2.
Brentius J. 37. 38.
Bucer 2. 3.
Caelestius 78.
Cajetanus 21. 22. 28. 32.
caritas 10. 11. 13. 19—32 passim. 39. 40. 45. 46. 51—75 passim. 81. 103. 105. 114. 115. 124—133 passim. 146. 153. 159. 160.
Casamassa A. 41. 46.
Cayré F. 63.
Cervinus 4.
coalescentia peccatorum venialium 117—119.
Colloquium Ratisbonense 2. 3. 24.
„Colonienses“ 1—3.
Concilium Carthaginense 109.
Concilium Tridentinum 1—33. 97. 154.
concupiscentia 13—18. 19. 45. 47. 54. 55. 61. 63. 72. 73. 75. 76. 82—104 passim. 109. 110. 113. 114. 120. 131. 132. 133. 142. 143. 145. 153. 157. 158. 159.
Consilii J. 25.
consuetudo bona 58.
consuetudo mala 85. 86.
Contarenus G. 2. 3. 24. 25. 26. 28. 32.
Contarenus J. 5. 11. 21.
Cristiani 2.
De la Cruz A. 5. 27.
Cyprianus 60.
daemones, cf. angeli mali.
defuncti, cf. mortui.

deificatio 54. 70—73. 79. Cf. filiatio divina.
Denifle H. 38. 44. 48. 147.
Denzinger H. 56. 64. 101. 109.
diabolus, cf. angeli mali.
Dittrich F. 3.
Donatistae 43. 49.
Donau F. 83.
Dumont P. 57. 70. 73. 74. 78. 79.
Eck J. 2.
Ehses St. 1. 3. 4. 24. 33.
Ennen L. 2.
Feltrinus M. 4.
fides 10. 11. 12. 13. 19. 25. 26. 30. 33. 37. 38. 39. 40. 49. 51. 52. 55. 77. 79. 105. 114. 122. 123. 124. 126. 147. 148. 159. 160.
filiatio divina 53. 54. 55. 70—79 passim. 106. 107.
Forcellini 93. 94.
Gardeil A. 65. 66.
Garrigou-Lagrange R. 56. 104.
Gilson E. 54. 63. 76. 79. 83. 118.
Gothein E. 31.
Grabmann M. 1. 13. 41.
gratia elevans 55. 56. 62. 73. 77. 78.
gratia habitualis, infusa, inhaerens, sanctificans, cf. justitia inhaerens.
Grisar H. 37. 38. 90.
De Groot J. F. 116.
Gropper J. 2. 3. 25. 26. 32.
Hadrianus Ultrajectensis 19.
Hamel A. 37. 40. 41. 43. 44. 51. 122. 126. 136. 147.
Hamma M. 83.
Haner J. 28.
Harnack A. 38. 39. 41. 53. 78. 80. 81.
Hauck, cf. Herzog-Hauck.
Headlam, cf. Sanday-Headlam.
Hefele C. J. 1. 109.
Hefner J. 1—5 passim. 13. 140. 154.
Hergenröther J. 1. 2.
Herzog-Hauck 38.
Hetzenauer M. 41.
Heurtebize B. 2.
Hofmann F. 41. 77. 108.
Hünermann F. 2. 10. 26. 28. 116. 118.
Humbert A. 2.
Hurter 1.
Ihmels 38. 39.
imago Dei 62. 72. 74. 80.
incertitudo de perseverantia 134.
incertitudo de propria justitia 133. 139.
infantes 29. 51. 59. 61. 77. 78. 127. Cf. baptismus.
infernus 20. 116.
inhabitatio Spiritus Sancti 55. 60. 61. 62. 65. 69. 70. 77. 160.
intercessio sanctorum 116. 117.
Jansen A. 2.
Janssen J. 2.
Jauncey E. 38. 40.
Jedin H. 1. 2. 9. 13. 32. 157.
Julianus (Eclanensis) 76. 77. 78. 85. 88. 90. 93. 96. 97. 98. 99.
justificatio, definitio 49—51. 126. Cf. justitia.
justitia Christi (Dei) 42—48. 143. 149. 154. Cf. justitia imputata.
justitia duplex 1—5. 9. 12—33 passim. 37. 82. 121. 128. 143. 144. 149. 153. 154.
justitia imperfecta 12. 15. 18—21. 24. 26. 28. 29. 47. 75. 76. 82. 104—121. 128—143. 153. 154.
justitia imputata 1. 12. 13. 18—31 passim. 37. 40. 44. 48. 51. 82. 140. 142. 143—149 passim
justitia inhaerens 1. 10. 11. 12. 13. 20. 25—31 passim. 37—81 passim. 92. 100. 122. 123. 143—149 passim. 154.
justitia originalis 62—65. 73. 87. 89. 100. 102.
Kleutgen J. 98.
Koch W. 16. 32.
Kors J. B. 63. 64. 83. 88. 89.

Kunzelmann 41. 111.
Landgraf 62. 114.
Lange H. 38. 41.
Lattantio M. 9.
Lehaut 116.
Leontinus V. 4.
lex 40. 44. 45. 46. 49. 50. 54. 55. 57. 101. 102. 103. 104. 133. 144. 145. 146. 147. 157. 158. 159. 160.
liberum arbitrium 42. 55. 160.
Lombardus, cf. Petrus Lombardus.
Loofs 41.
Luther 1. 2. 17. 27. 32. 37. 38. 39. 41. 44. 46. 90. 94. 147. 157.
Lutheranismus 1. 10. 12. 31. 37. 46.
Maria 106. 107.
Marianus Feltrinus, cf. Feltrinus.
Martin J. 41.
Mausbach J. 13. 41. 52. 54. 55. 59. 63. 71. 75—102 passim. 105. 109—118 passim. 125.
Mazochius L. 4. 12. 19. 21. 23. 129.
Melanchthon 2. 27. 37. 38. 79.
meritum 12. 13. 18. 21. 22. 27. 29. 32. 39. 40. 45. 63. 64. 67. 68. 121—143. 154.
Merkle S. 3. 10.
Merlin N. 63. 84. 99. 143.
Metzler 2.
Michel A. 63.
Milensius A. 9.
Minges P. 31. 32.
Miranda B. 4.
Montcheuil Y. de 83.
Moreschini A. 13.
Moronus J. 3.
mors animae 86. 87.
mortui, suffragia pro eis 23. 137.
Müller J. C. 38.
Mussus C. 11. 16. 97.
Neveut E. 99.
Nominalistae 127.
Ossinger 24.
Pallavicinus S. 4. 10. 11. 15. 29. 32.
Paquier J. 32.
participatio Dei 47. 48. 55. 61. 66. 68. 70. 74. 78. 79. 130. 149.
Pastor L. v. 2. 3.
peccatum, definitio: 98. 99. 100. — divisio: 18. 20. 21. 28. 29 30. 110—121. 130. 140. 141. — mortale: 20. 111. 112. 114—116. 157. veniale: 20. 96. 105. 112—116. 117—119. 132. 133. 142. 143. — remissio: 11. 14. 15. 17. 26. 27. 32. 53. 58. 84—87. 90—92. 99. 104—108. 117. 138. 139. 141. 158. 159.
peccatum habituale, cf. peccatum originale; reatus.
peccatum originale 3. 13. 14. 15. 17. 50. 51. 75. 77. 83. 84. 88. 89. 98. 99. 110. 129. 153.
Pelagianismus 1. 42. 43. 49. 53. 57. 73. 76. 77. 78. 80. 84. 90. 95. 96. 106. 108. 109. 112. 122. 125. 127. 131.
Perez J. 24. 32.
perseverantia finalis 47. 134.
Petrus Lombardus 23.
Pflug J. 2. 32.
Philips G. 65. 83.
Philipputius A. 4. 24.
Pighius A. 1—3. 19. 23. 24. 26. 32. 129.
Pistorius 2.
Polus R. 2. 15. 27.
Portalié E. 41. 46. 63. 83. 88. 92. 109. 111. 114. 115. 116. 117. 140.
Poschmann B. 84. 87. 116. 117.
praedestinatio 134.
privatio Dei 86. 87.
Protestantes 1. 2. 10. 24. 30. 33. 37—41. 46. 90.
protoparentes 62—65.
purgatorium 20. 116. 140. 141. Cf. mortui.
Rauschen G.-Altaner B. 41. 116. 117.

Raymond P. 32.
reatus in genere: 83—89.
reatus concupiscentiae seu peccati originalis: 14. 84. 87—92. 97. 100. 104. 153.
reatus poenae 84.
rectitudo cf. justitia originalis.
Reuter 41.
Rivière J. 1. 12. 32. 58. 92. 122. 126. 127.
Rückert H. 2. 3. 4. 5. 10. 12. 13. 23. 26. 27. 28. 31. 32. 80.
Sadoletus J. 3.
Salgueiro 41.
Sanday-Headlam 38. 39. 40.
Sanfelice Th. 5. 11. 16. 19. 21. 129.
Schanz P. 41. 54.
Scheeben M. 84. 87. 119.
Schmidlin J. 2.
Scholastici 23. 38. 51. 79. 113. 116. 118.
Scotismus 11. 26. 31. 32.
Scotus 22. 32.
Seeberg R. 39. 40. 41. 53.
Semipelagiani 123. 125.
Seripandus H. 3—33 passim. 37. 82. 94. 97. 100. 101. 128—160 passim.
Sestino St. de 4.
Severolus 15. 16.
Van Slee 1.
Solisius A. 4.
Stakemeier E. 33.
status naturae purae 73.
Stufler 84.
Thomas Aquinas 16. 17. 22. 32. 48. 100. 104.
Tixeront J. 116.
Turmel 41. 90.
Vega A. 26. 30. 140.
Vermeersch A. 120.
Vincentius Leontinus cf. Leontinus.
virtutes 54. 58.
virtutes infidelium 74. 79. 100.
Zanettinis D. de 5. 10.
Zarb S. 41. 46.